

APPARATUS

BIBLICO-THEOLOGICO-CHRONOLOGICUS

QUO ECCLESIASTICI TYRONES AD OMNI-
MODAM SACRARUM FACULTATUM
ASSECUTIONEM FACILE PERDUCANTUR

CONCINNATUS STUDIO AC LABORE

PATRIS THOMAE GAGGIOLI

MINORITAE PROVINCIAE TUSCIAE
LECT. JUBILATI



ET AB EODEM IN TRES PARTES DISSECTUS

In quarum prima ea omnia traduntur, quae ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam capessendam sunt necessaria.

In altera ea, quae ad Theologicas facultates expletè possidendum sternunt viam.

In ultima tandem Historico-Chronologico Notitia summatim exhibetur RR. Pontificum, Conciliorum, Haereticorum ec.



PISTORII MDCCXCVI.
APUD HÆRED. ATTHONIS BRACALI



SUPER. ANNUENT.

Intrans in domum meam, conquiescam cum sapientia: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam, et gaudium. Sap. C. 8. v. 16.

PRAEFATIO.

SAepe mihi cogitanti, qua ratione fieri possit, ut ex tot tantisque adolescentium, qui Sacrarum literarum studiis sub ipso juventutis flore sedulo incumbunt, tam pauci sint, qui uberiorem fructuum segetem inde metant: plurimae sese offerebant hujusce rei caussae, atque rationes. Fortassis, dicebam, multos piget improbi laboris; alios deterret hujuscemodi studiorum amplitudo, sublimitas, molesque infinita; aliis desunt aut ingenii acumen, aut studendi, ediscendique commoditas, boni Magistri, Scholae, Gymnasia, Academiae, aut disputandi exercitatio; nonnulli forsan in non satis solertes, et eruditos incidunt Praeceptores; vel si ipso sub tyrocinio bonos, ac doctos nacti fuerunt, eisdem postmodum defuit copia librorum, aut temporis opportunitas; aut curis aliis sunt alii distenti, aut otio dediti, aut vitae deliciis illecti. Equidem negandum non est, quod omnes, aut nonnullae ex hisce caussis maximo sint juvenibus ad scientiarum profectum impedimento. Si id tamen fieri posse frequenter in Vicis et Pagis, in parvis Oppidulis, vel despectioribus Civitatibus, intelligerem: non mihi tam facile persuasum erat, in magnis, illustrioribusque Civitatibus, quae Seminariis, Academiis, Collegiis, aut etiam Universitatibus redundant, et in quibus undequaque

 opti-

optimi sunt Praeceptores in omni varietate scientiarum exculpti; idipsum similiter evenire potuisse. Quid? Numquid omnes deliciis vacant? Numquid omnes detinentur otio? Num omnes deterret labor? Anne tam pauci sunt, qui pollent ingenio? Credat alter. Ego libenter dicam, ut sentio; et experientia loqui coactus sum. Nec satis sunt ad adolescentium profectum doctiores magistri, nec sufficiunt percelebres Academiae: audeam quidquam ulterius; nec amor studii, nec improbus labor faciunt homines vere Doctores. Ubi nunc vita brevis, et labor longus, via, quae ducit ad palmam, quantum fieri potest, detruncanda, et abbrevianda est; neque ipsa in obliquas lineas, et anfractos recessus, sed in directum illico tota protrahenda est, ut ipso in vestibulo tota percurrenda via uno ictu oculi ad metam usque valeat conspicari. Utrumque pluribi deficit, vel non consulto unum, aut alterum adhibetur ad intentum; non quidem Magistrorum, Lectorumque desidia, sive ignorantia, sed methodi accuratius excogitatae defectu. Via namque brevior minus laxat, pigros praesertim; et bona incaeptio, consummatio ferme est operis.

Quaenam autem accuratior isthaec methodus esse poterit, ut via breviori iter percurrant, et sacram exerceant Palestram adolescentuli Tyrones? Aures praebete; attentos vos volo; sine bonis, et optime excogitatis principiis nulla potest facultas perfecte, et

et explete possideri: et quia nulla est facultas, sive speculativa illa sit, sive practica, quae sua propria, specifica, et singularia non habeat principia: hinc sine horum principiorum praevia perfectaque notitia, et intelligentia ad cujuscumque facultatis perfectam acquisitionem quis potest numquam pervenire. Sunt insuper regulae quaedam breviores, et axiomata, ut ita loquar, ad rem quadrantia, quibus perspectis, omnes facili negotio enodantur difficultates, et difficiliora facilioribus coequantur; et quibus e contra ignoratis, vel in via deficimus, vel erramus in invio. Et hoc est unum ex duobus, quod ipso in limine deesse dicebam tyronibus. Volumus, ex. cau. juvenem studiosum parare, et perducere ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam; si praeter linguarum peritiam, in qua ipsae conscriptae sunt, ea omnia prologomena, notiones, regulae principia, quae ad Scripturarum interpretationem necessario desiderantur, non eidem in antecessum proponantur, tamquam summulae ad Logicae acquisitionem, et Praeceptor tempus teret inutiliter, et Auditor discipulus numquam perveniet ad metam. Optamus, ut adolescentuli Theologicis studiis navent operam; quid eorum profectui deservire poterimus, ni primum omnium definitionem, ac partitionem Theologiae exhibeamus, tradamus regulas ad invenienda, et discernenda Theologica Dogmata; ostendamus fontes, e quibus argumenta petuntur,

qui-

quibus probantur, confirmanturque; ac tandem in prospectu ponamus principia, quibus enascuntur, firmantur, diriguntur?

Hinc factum est, quod docti, et eruditi homines, ut studiosae juventutis commodo servirent, Apparatus quosdam, mole sive majores, sive minores in lucem ediderint. Quotquot, vel certè eorum plurimi, qui sanctam Scripturam interpretantur, in fronte libri prologomena apponunt, quibus via aperitur ad ipsarum Scripturarum intelligentiam. Nec desunt, qui ad id concinnarint ex parte exactissimos Apparatus cum aeris tabulis, pro omnigena Scripturarum intelligentia, quos inter doctissimus P. Bernardus Lamy Presbyter Congregationis Oratorii Gallicani. Alii idipsum praestarunt circa studia Philosophiae, ac Theologiae, quorum recentissimus Aloysius Antonius Vernejus Eques Torquatus, et Archidiaconus Eborensis ad usum Lusitanorum adolescentium: quod Opus cusum est Romae 1751. Nonnulli etiam Apparatus composuerunt pro aliquali notitia Conciliorum, et Operum SS. Patrum. Multi haeresum historiam contexuerunt; sed pro sufficienti notitia satis esse poterit Franciscus Van-Ranst ex Ordine Praedicatorum, aut Alphonsus Deligorius Episcopus S. Agathae Gothorum. Plurimi tandem Tabulas Chronologicas disposuerunt, e quibus prae omnibus tibi sit Dominicus Musantius e Societate Jesu. Hisce sane manuductionibus evehi facilè possunt adolescentuli ad Religionis no-

strae sublimiora studia eum spe magni profectus: vel, si forte commoda ista desint, hoc cum iisdem tenuerint docendi institutum sacrarum Literarum Magistri.

Alterum, quod dicebam impedimento esse adolescentium profectui, est via nimis longa, per quam ipsi deducuntur. Cursus Theologicus plures occupat annos; nec facile erit, etiam peritioribus, et accuratioribus Magistris quatuor annorum decursu universam Theologiam suis explanare Auditoribus, praesertim quia ex recepta consuetudine frequentes, et in longum protractae sunt infra annum vacationes: itaut, quadriennio emenso, multis contingat saepe, quod navigantibus frequenter accidit; nimirum non posse pluribus hebdomadibus unum milliarium percurrere, adversantibus ventis, et mari: ajebam, sic eos quoque modicam vel partem decurrisse studii jam antea aggressi. Ea propter Classici auctores, qui, multis, nempè, sacram facultatem complectuntur voluminibus, mihi videntur Tyronibus non proponendi. Breviores Summistae tutius, et expeditius ad optatam metam perducunt; eosque bonos Auctores auditoribus explicare magis laudo, quam propria sua placita eis tradere scripto. Quod si tamen praestare libuerit, in Scholasticis, parumque necessariis quaestionibus non multum erit immorandum. Methodus stricta habeatur, clara, aperta, efficax, non verbis redundans, sed optimis ratiociniis comprehensa. Ad id confert quamplu-

plurimum methodus, non quidem illa, quae mathematica dicitur (Theologicis namque parum convenit), sed altera illa geometrica dicta. Dum etenim omnia per propositiones, demonstrationes, et paragraphos ita inter se arctissimè connectuntur, ut ex aliis alia semper fluant, et alia ex aliis mutuentur lucem, equidem multum docetur, et pauca charta atramentatur.

Quid autem mihi post haec? Sensa animi patefacio. Ego, ut studiosae juventuti fulcimento, et adjutorio aliquo sim, modò Apparatum quemdam conscribam, mihi quoque bonis auctoribus auxilium ferentibus; in quo ea omnia diligenter, et ordine exarabo, quae ingeniosos, et bonae spei adolescentulos ad sacra studia tuto, et expeditè possunt perducere. Apparatus iste meus in tres libros secernetur. Primus ea complectetur omnia, quae ad sacrarum Scripturarum intelligentiam capessendam videbuntur necessaria. In altero ea fideliter adnotabo, quae ad Theologicas facultates expletè possidendas auxilium suppeditare possunt et lumen. Tertius exhibebit perfunctoriam quandam Historico - Chronologico - notitiam RR. Pontificum, Conciliorum, Patrum, atque Haereticorum celebriorum. Et ne quid ad operis perfectionem desit; in fronte libri primi apponam methodos praecipuas usquemodo excogitatae Chronologiae, hoc est artis annorum computandorum ab initio usque ad exitum mundi. Omnia quidem, ut nemo non vi-

videt, presso, et strictiori calamo erunt pertractanda, non tamen confuse, nec ideo inutiliter.

Eja ergo, optimi Tyrones, si Auctor non displicet, opus manibus abripite, et mihi experto credite, utilitatem non solum, sed et necessitatem illicò sentietis. Quid enim vobis necessarius? Quid utilius? Quid jucundius, quam isthaec mea ad sacrarum literarum studia manuductio? Enim vero sacrarum literarum studium unum est omnium studiorum studium, in quo quanto magis quis proficit, eo magis proficiendum superest, et in inquisitione deficit, qui ad id, quod quaerit, jam pervenisse se putat. Quare Apostolus: *Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire* (*Cor.* 1. *c.* 8.) Haec una, et sola sapientiarum sapientia, sine qua omnia claudicant, et sine qua multa discendo, nihil scitur. Qui hanc scientiarum scientiam consequitur, beatus erit; qui eam ignorat, infelix. Quo namque modo sine revelatae facultatis intelligentia Deum cognoscere, ipsumque colere, et amare poterimus? Qua alia ratione fidei, et Ecclesiae hostes dejicere, et profligare putaverimus? Quibus mediis nosmetipsos regere, et alios quoscumque instruere, docere, coarguere, et ad beatitatem perducere, nisi ex Scripturarum, et Theologiae pelago magnam dicendi copiam hauriamus? Literae sunt Scripturae, inquiebat Gregorius M. ad nos missae, deliciae

sunt

sunt: has literas aperiamus, legamus, et oculo, et calamo, et ingenio deficiamus die, noctuque. In hoc deliciarum viridario perambulemus, oblectemur, dulcique somno capiamur: Vis, utor verbis Martini de Rio (*in Phar. prol. c.* 1.) *vis prudentiam Juris, et Reipb. gerendae praecepta? Fontem Graecorum, Romanorumque legum? Scias in Pentateucho scaturire. Vis Physiologiam? Adi Geneseos priora capita, et Jobi dissertationes; et multiplices morborum curationes passim, sed sparsim reperies. Vis moralem sapientiam? Supra Pythagoreos, Stoicos, Academiam veterem, et novam, Salomonis, et Siracidae libelli praebebunt. Placet eloquentiae vis hominum animis apta permovendis? Uberem mete segetem ex majorum, et minorum Prophetarum, Isaiae, Nahum, et ceterorum vaticiniis. Juvat historias, et in his fortia facta Patrum, prosperos, ec infaustos pacis, et belli eventus domi quietum, et tranquillum volvere? En tibi ab initio mundi, plusquam quatuor annorum millibus gesta in Pentateucho, Josue, Judicum, Judith, Ruth, Regum, Paralippomenon, Esdrae, Tobiae, Machabaeorum historiis, quibus res prorsus stupendae, & memoria dignissimae, quam simplici, tam vera narratione contexuntur. Delectat profana Poesis? Invenies in Jobo epicam gravitatem, et cinnum inopinatae Tragicomediae: lamentabiles questus, et luctuosam complorationem in flebilibus Elegis Jeremiae: hymnodiam, et Liricos mo-*


dos

dos in Psalmis Davidis , Pindaro , et Flacco dulciores , et elaboratiores : Bucolicam contra Theocritos , et Bajones , venustatem in Salomonis Cantico Canticorum : Ita sanè , Tyrones , vobis datum erit multa scire , et fructuose scire , si huc enixè vestrum animum advocetis : et hocce meo libello multum profecto sublevemini ad praemonstratum cursum peragendum . Valete .

MONITUM.

Circa notulas quasdam compendiarias , quibus uti contigerit brevitatis causa .

A. C. Ante Christum P. Pontifex, PP. Pontifices, C. Cardinalis, C. P. Constantinopolis, E. Episcopus, S. Sanctus, SS. Sancti, M. Martyr, Men. Mensis, R. Rex, f. filius ff. filii, fr, frater, ffr. fratres, n. natus, vel nascitur, v. vivit, vel vixit, m. mortuus , vel moritur, r. regnat, vel regnavit ec.



LIBER PRIMUS

CAPUT I.

De septem Mundi Aetatibus.

1 AEtas a creatione Mundi ad Diluvium. 2. Aetas a Diluvio ad vocationem Abrahae. 3. Aetas a vocatione Abrahae ad Exitum Israelitarum ab Aegypto. 4. Aetas ab egressu Aegypti ad constructionem Templi. 5. Aetas a construtione Templi ad finem captivitatis Babylonicae 6. Aetas a libertate donata per Cyrum ad Christum natum. 7. Aetas a Christo nato usque ad Mundi finem.

Quoniam vero hujusmodi Aetates quorundam annorum numero commensurantur; istorum calculum perquirere, ac definire ad Chronologos spectat. Ast licet inveniendis, taxandisque Chronologicis calculis infiniti propemodum desudarint doctissimi Viri, quos inter eminent Salianus, Spondanus, Ricciolius, Petavius, Labbeius, Usserius, Lamy, Cal-

Calmetius, Musantius, Eustachius Manfredius, Marshamus, Gronovius, et alii praeter antiquos celebriores notae Chronologi: nondum tamen ad perfectam concordiam venire inter se potuerunt circa plurima Chronologiae capita; quod nec unquam poterunt efficere propter incertitudinem temporum, historiarum, Epocharum, Graecarum Iliadum, Olimpiadum Romanorum, et alia hujusmodi. Cum nihilominus hodiernum communiter recipiatur systema illud Chronologiae, quod mundo tribuit a sui ortu usque ad Christum natum 4000. annos; et in quorum annorum totali supputatione, parva, aut nulla est Recentiorum discrepantia, ab hocce systemate recedendum profecto non est. Ne quis autem tyronum legendo Hebraicos Codices, et vulgatam Editionem in scopulos illico impegisse videatur, et mente turbetur, dubius haereat, et anceps; duas hic primae, et secundae aetatis tabulas subiicio, quibus addam et tertiam circa discrepantiam recentiorum Chronologorum; quorum vestigia et nos calcare debemus.

Exhibens descriptionem
ad Christum natum.

Ar

1. Aetas - - -
2. Aetas - - -
3. Aetas - - -
4. Aetas - - -
5. Aetas - - -
6. Aetas - - -

Sum. -

Ar

TABULA III.

recentionum Chronologorum ab exordio mundi

ıni cuique aetati attributi.

A Lamy	A Petavio	A Musantio
1656.	1656.	1656.
4[illegible]7.	366.	458.
430.	430.	430.
487.	519.	479.
468.	474.	493.
532.	538.	537.
4000.	3983.	4053.

E Rayaumont	A Cornelio a Lapide	A Calmetio
1656.	1656.	1656.
426.	367.	4[illegible]8.
430.	430.	4[illegible]9.
479.	480.	389.
476.	426.	555.
532.	591.	593.
4009.	3950.	4050.

Hanc tertiam aetatum mundi Tabulam nonnullorum inter celebriores Scripturarum Interpretum, simulque Chronologorum, eo consilio dedimus, ne prudens Lector dum aliter, ac aliter rebus, factis, ac personis annos consignari conspexerit, turbetur, et quasi in invio errans, deficiat animo. Neque enim facile est, duos saltem invenire, qui in omnibus simul conveniant. Unusquisque tamen suam tuetur sententiam, et verum assecutum fuisse fortasse putabit: ast quis eorum propiùs veritati accedat, Deus scit. Tanta siquidem est sacrae profanaeque Chronologiae obscuritas, et contradictio, ut certissimè, et infallibiliter temporum puncta, atque metae nequeant definiri; et eo obscurior, quo tempora ipsa ab initio mundi recedunt. Cui ergo nos tuto adhaerebimus? Quem inter tot habebimus Ducem? Quoniam vero omnes conveniunt, a diluvio usque ad Christi nativitatem 4000. annos, aut parum minus, aut plus, decurrisse, tritam jam viam, ne semper erremus in invio, deserere nefas est. Ut autem id assequamur securius, sub ipso initio ponimus, quae sequitur.

DISSERTATIO CHRONOLOGICA.

§. I. CUm Chronologia nil aliud sit, quam rerum praeteritarum ex certis indiciis, et notis ad sua tempora, et temporum ad partes accomodatio, scilicet ad an-

nos, menses, dies ec.: hinc initio scire necessum est, quid sit annus, et quotuplex? Annus itaque alius est Solaris, alius Lunaris, qui ambo cursu, et conversione Solis, et Lunae per suam Eccliptieam peraguntur. Annus solaris duplex iterum est, *Exactus*, et *Civilis*: *Exactus* aliter dicitur *Tropicus*, quia incipit ab uno ex quatuor Cardinalibus annuis punctis, hoc est Solstitiis, et Æquinoctiis: *Exactus* quidem, quia solaris circuli numeros omnes attendit, et conspicit. *Civilis* autem, qui et *Julianus*, est annus ad populi usum accomodatus, studio Julii Caesaris Dictatoris. Tropici anni cursus accurate cognosci non potest, quia cum unum, et idem centrum Terrae non sit, et solaris cursus, sed is modo magis, modo minus assurgat super eam: hinc fit, ut conversio solis ab uno cardine ad alterum modo sit major, modoque minor. Verumtamen excogitatus est ab Astronomis medius quidam solaris cursus ex velocissimo, atque tardissimo, qui ex peritis deprehensus est continere dies 365, horas 5., minuta 49. De hac re legatur Petavius de Doct. Temp. l. 4. c. 36. Annus autem *Civilis*, seu Julianus, quo a tempore Julii Caesaris usi sunt Romani, et quo nunc utuntur Europaei, continet dies 365., et horas 6; quae horae quadriennio collectae simul unam diem efficiunt 24. horarum. Hic dies quarto quolibet anno inseritur vigesimoquarto Februarii, qui idcirco olim apud Romanos dicebatur sextus Kalen-

lendas Martias: et quia eo productiori anno dicebatur dies 24., et 25. Februarii Bissexto Kalendas Martias: factum inde est, ut is annus Bissextilis nuncuparetur. Quid vero factum sit ad reparandum discrimen, quod intercedit inter annum Tropicum medium, et Julianum, undecim minutis majorem illo, deprehenderis ex correctione Kalendarii facta per Gregorium XIII. R. P., circa quam nos ultra immorari non licet. Mensis autem Lunaris est spatium, seu intervallum, quo Lunae circuitus describitur; estque duplex, *Periodicus*, et *Synodicus* Iste secundus est spatium temporis, quo Luna a Sole digressa eumdem assequitur; quare aliter vocatur *Syzygia*. Eo enim tempore, quo Luna orbem suum decurrit, Sol proprio suo motu progreditur; nempe gradus fere 27. conficit, quos item Luna debet emetiri, ut cum sole jungatur. Constat autem diebus 29., horis 12., minutis 44., minutiis, seu minutis secundis 3. Hic Mensis Synodicus Lunae duodecies ductus facit annum Lunarem dierum 354., horarum 8., minutorum 48., minutiarum circiter 38., qui et aliter dicitur an. Lunaris Astronomicus. Ille secundus Periodicus est intervallum, quo Luna suum peragit orbem, diebus 27., horis 7., minutis 4., secundis 7. Hinc annus Lunaris alius est *Astronomicus*, de quo jam supra, et alius *Civilis*; estque annus, qui constat ex mensibus alternis 30., et 29. diebus, nulla habita ratione ad minuta.

§. II. Non unus fuit, sed multiplex apud veteres annus Civilis; scilicet Romanus, de quo hactenus egimus, Atheniensis, Ægyptius, Arabicus, Judaicus. Atheniensis respiciebat ad Lunae cursum, sed is ad solis motum accomodabatur per methodum Methonis, deinde Calippi. Methodus methonica an. 19. terminabatur: Calippica an. 76. complectebatur. Vide de utrisque Petavium; de quibus egregie pertractat. Atheniensis, seu Graecus annus initium sumebat a Solstitio aestivo, et primus ejus mensis Hecatorbem dicebatur. Ægyptius constabat firmiter diebus 365., quare quarto quolibet anno una integra die praeveniebat an. Julianum. Hoc autem an. Ægyptii usi sunt usque ad devictam Cleopatram, quando more Julianorum mobiles illi an. fixi sunt. Arabicus totus est Lunaris, quatenus solvitur penitus a Solari. Hic nullas habet intercalationes, semperque constat 364. diebus, horis 8., minutis 48., ex quibus constituunt aliquos annos, quos inserunt opportune, constantes ex diebus 365. Hinc factum est, quod primus eorum mensis *Muharran* nullam habeat in an. Juliano fixam sedem, et modo in hyeme, modo in aestate contingit. Judaicus in praesentiarum est Decemnovenalis, et jam ex quo transierunt in Seleucidarum ditionem. De tempore Moysis nihil certi statui potest; hoc unum scimus, duplicem habuisse annum, unum Civilem, qui a mense *Tirsi* Lunari Autumnali inchoabatur; alterum Ecclesiasticum

rum a mense Nisan, et Æquinoctio Verno.

§. III. Post haec unusquisque facile edocebitur, annorum numerum, qui ab orbe condito usquemodo defluxerunt, accurate reddi non posse. Primo quidem, quia temporum mensura, quae nunc apud nos est in annis conficiendis, non eadem forte semper fuit ab initio mundi, vel in ipsa, ut patet, Hebraeorum Rep. Deinde quia, ut advertit Theophilus Antiochenus l. 3. Antolicum, in sacris libris menses, et dies non adnotantur. En ejus verba: *Quia non sunt adnotati in libris sacris menses, et dies*. Qui tamen in annis Patriarcharum collecti in unum non modicam summam conflare poterunt. Postremo quia multoties incaeptum sumitur pro completo. Equidem, ut inquiunt nonnulli, quod in unius aetate residuum est, alteri potest assignari. Sed haec conjectura est, non certa, et infallibilis cognitio. Superest, quod non adeo clare sunt Scripturae, ut nullum nobis scrupulum relinquant.

Quod ut appareat, singulas inspiciamus aetates consequentes diluvium. In Cap. II. Geneseos novem recensentur generationes post diluvium usque ad Abrahamum. Nam Sem f. Noe biennio ab egressione ex arca genuit Arphaxad, an. m. 1659. Vixit Arphaxad an. 438. Arphaxad an. 35. genuit Sale, m. 1694. v. 423. Iste an. 30. g. Heber, m. 1724. v. 464. Heber 34. an. m. 1758. g. Phaleg. v. 239. Iste an. 30. m. 1788. g. Reu. v. 239. Reu 32. an. m. 1820.

g.

g. Sarug. v. 239. Iste Sarug. 30. an. m. 1850. g. Nachor, v. 230. Nachor an. 29. m. 1879. g. Thare, v. 148. Thare an. 130. m. 2009. g. Abraham, v. 205.

Quoniam vero septuaginta Interpretes, quemadmodum S. Lucas in Evangelio decem recensent generationes: hinc de corruptione textus Hebraici merito suspicatur. Ait namque S. Lucas Evangelista, sacram texens Christi genealogiam, sursum ascendendo *Isaac, qui fuit Abrahae, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe* (Cap. 3.). Ex quo patet, Arphaxad non Sale, sed Cainan 2. (sic dictus ad distinctionem alterius Cainan qui fuit ante diluvium (genuisse, et Sale patrem habuisse Cainan 2; adeoque iste Cainan in sacra genealogia ponendus post Arphaxad, n. 1694. cujus vitae cursus fuit an. 360. Et quia volunt Eruditi, Cainan g. Sale an. 30. adv. Septuaginta, qui dicunt eum genuisse an. 130. summae jam datae addendi sunt anni 30. sicque Abraham natus non fuisset m. an. 2009., sed 2039. Nos Evangelicum textum relinquere non audemus.

Astne hoc modo sublata erit omnis difficultas? nequaquam. Adhuc enim quaestio agitatur: an Thare genuerit Abraham an. aet. suae 130., an vero an. 70. Opinionem de an. 70. probabilem dicunt SS. Augusti-

nus

nus, et Hieronymus, et oppositae sententiae de an. 130. fundamentum indissolubilem nodum vocant, quem tamen solvere ut cumque conati sunt. Revera Geneseos C. 11. v. 26., et 27. semel, ac bis inter genitos a Thareto primo loco semper ponitur Abraham. *Hae sunt generationes Thare: Thare genuit Abraham, Nachor, et Aran*. Qui autem volunt Abraham genitum a Thare an. 130., conantur dicere ipsum natu minorem, quod extemplo fatentur. Difficultas ergo oritur ex v. ult. ejusdem Capitis, ubi dicitur: *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran*. Subditur autem Cap. seq. *Egressus est itaque Abraham, sicut praeceperat ei Dominus, et ivit cum eo Loth. Septuaginta quinque annorum erat Abraham, cum egrederetur de Haran, tulitque Saraì uxorem suam, et Loth filium fratris sui*. Quae verba profert simul et explicat S. Stephanus act. c. 7. v. 4., dicens: *Tunc exiit* (*Abraham*) *de terra Caldeorum, et habitavit in Haran, et inde postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam*. Ex quibus Scripturarum locis liquet, quod si Abraham genitus fuisset a Thare an. 70., non salvaretur Scriptura, quae Thareto 205. annos tribuit vitae, et tantum vixisset an. 145. Si autem ipsum dicamus genitum an. 130., tunc omnia bene consentiunt; nam subtrahendo a 205. an. 75., remanent 130. Hanc itaque sententiam teneamus. Et qui plura desiderat, legat La-

beum

beum in Actuario Concordiae Chronol., excur. 8., et ipsi contradicentem Petavium Ration. Temp. p. 2 l. 2. c. 3. Constat igitur, Abraham natum fuisse an. m. 2039., quibus si addas an. 75. usque ad ejus vocationem, faciunt an. 2114. Subtractis autem ab isto calculo annis 1. aet., remanent 458. Et haec est, quam quaerimus, mensura 2. aetatis.

Transeamus modo ad tertiam Ætatem. Si enim quaeras de mora Israelitarum in Ægypto, contraria exhibere videntur Scripturae ipsae. Scribit namque Apostolus ad Galat. c. 3. v. 17. *Hoc autem dico testimonium confirmatum a Deo, quod post quadringentos, et triginta annos facta est Lex*. Quibus consonat Exodi Caput 12. v. 40. *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum, quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti*. Genes. vero C. 15. v. 13. legitur: *Dictumque est ad eum (Abraham): Scito praenoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eum servituti, et affligent quadringentis annis*. Quod idem repetitur Act. C. 7. v. 6. Sed hujusmodi Scripturae hoc modo conciliantur: 430. anni computari incipiunt a promissione facta Abrahae, quando erat an. 75., a qua revera usque ad exitum Israelis de Ægypto an. 430. exacte decurrunt. Anni vero 400. ab ortu Isaaci, qui Abrahamo an. 30. post ingressum in Palestinam natus est, quando altera vi-

vice ipsi Abrahae, et semini ejus terra illa promittitur. Tertia ergo Aetas 430. an. evolutione tota complectitur.

Quoti autem fuerint 4. Aetatis anni, ab exitu nempe Israelis usque ad aedificationem Templi, quae incaepit an. 4. regni Salomonis, perspicue eruitur ex Lib. 3. Reg. C. 6. v. 1., ubi dicitur: *Factum est ergo quadringentesimo, et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de Ægypto, in an. 4. mense Zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, aedificari caepit domus Domino.* Scriptura sine ambiguitate loquitur, ulterius non quaerimus. Hi ergo sunt anni quartae Aetatis 480. Quae verba Scripturae cum tam clara sint, et aperta: nescio qua ratione tot egregii viri in tam varias sententias abierint. Josephus namque et Melchior Canus ab exitu Israelis usque ad Templi aedificationem an. enumerant 592., Serrarius 680., Sigonius 688., Petavius 520., Chronicum Alex., seu Fasti Siculi 630., Clemens Alex. ultra 520., alii 574., alii 599., Sixtina Biblia, et Severus Sulpitius pro 480. legunt 440. Sentiamus cum Deo, et falsa nostra non dabimus.

Quintae Aetatis anni exquirendi sunt ab an. Regum Judae et Israelis, qui certum nobis, et fixum suppeditant calculum. Tempus enim, quo eorum quisque regnavit, adnotant libri Regum, ut in subjecto schegmate apparet.

Tem-

TEMPUS QUO REGNARUNT REGES.

JUDAE		ET	ISRAELIS.	
3. Salomon r. an.	40.	1.	Jeroboam r. an.	22.
4. Roboam r. an.	17.	2.	Nadab r. an.	2.
5. Abiam r. an.	3.	3.	Baasa r. an.	24.
6. Asa r. an.	41.	4.	Ela r. an.	2.
7. Iosaphat r. an.	25.	5.	Zambri r. d. 7.	
8. Joram r. an.	8.	6.	Amri r. an.	12.
9. Ochozias r. an.	1.	7.	Acab r. an.	22.
10. Athalia r. an.	6.	8.	Ochozias r. an.	2.
11. Joas r. an.	40.	9.	Joram r. an.	12.
12. Amasias r. an.	29.	10.	Jehu r. an.	25.
13. Ozias r. an.	52.	11.	Joachaz r. an.	17.
14. Joathan r. an.	16.	12.	Joas r. an.	16.
15. Acaz r. an.	16.	13.	Jeroboam ii. r. a.	41.
16. Ezechias r. an.	29.		Intertegnum 12. an.	
17. Manasses r. an.	55.	14.	Zacharias r. m.	6.
18. Amon r. an.	2.	15.	Sellum r. m.	1.
19. Josias r. an.	31.	16.	Manahem r. an.	10.
20. Joacaz r. men. 3.		17.	Phacejas r. an.	2.
21. Joakim r. an.	11.	18.	Phacee r. an.	20.
22. Jechonias r. m. 3.		19.	Oseas r. an.	18.
23. Sedecias r. an.	11.			

Constat igitur ex supputatione an. Reg. Judae, incipiendo ab an. 4. Regni Salomonis, tempus omne 5. Aetatis esse an. 500. Siquidem ab an. 4. Salomonis, qui est terminus 4. aetatis, usque ad 11. Sedeciae, sive ad initium Capt. Babylonicae inveniuntur an. 430., quibus si addantur an. 70., quibus Captivitas ipsa duravit, habemus an. 500. Totum autem Regnum Regum Judae usque ad Captiv. fuit an. 492. Israelis 259. aut 260. Tardius incaepit; citius defecit propter peccata, et scelus Idololatriae; omnes enim Israelitici Reges scelesti fuerunt, et idolorum cultores. Ad-

Adhuc tamen lis sub Judice est: quandonam inchoentur anni 70. Babylonicae servitutis, et quandonam compleantur. De initio itaque hujus servitutis tres sunt praecipuae Chronologorum sententiae. Prima est Petavii, Gordoni, Tirini, aliorumque, qui eam desumere conantur ab an. 4. Joakim, et 1. Nabuchodonosoris. Altera est Cajetani, Genebrardi, et Scaligeri, qui eam ab eo tempore auspicantur, quo Jechonias ductus est Babylonem, eique suffectus Sedecias. Tertia demum caeterorum Scripturarum Interpretum communissima hujus Captiv. initium desumit a destructione Urbis Hierosolymae, et Templi combustione facta per Assyrios, Sedecia Rege, et populo adductis captivis. Et hanc nos quoque libenter amplectimur, quia consona magis videtur verbis Hieremiae, qui eam toties frustra minitatus fuerat hebraeis; ait enim: *Et erit universa terra in solitudinem, et in stuporem, et servient omnes gentes istae Regi Babylonis septuaginta annis* (*Cap*.25.*v*.11.). Haec autem vastatio universa effecta non est, nisi an. 11. Reg. Sedeciae, licet sub Joakim, et Jechonia Reges Babylonii aliquid mali attulerint Hierusalem, eosque Reges vectigales quodammodo fecerint sibi. Confirmat id perspicue, quod legitur l. 2. Paralip. c. 36. a v. 19. usque ad 22. *Incenderunt hostes Domum Dei, destruxerunt murum Hierusalem, universas turres combusserunt, et quidquid praetiosum fuerat, demoliti sunt. Si quis evaserat*

rat gladium, ductus in Babylonem servivit regi, et filiis ejus, donec imperaret Rex Persarum, et compleretur sermo Domini ex ore Hieremiae, et celebraret terra Sabbata sua; cunctis enim diebus desolationis egit Sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni. Anni igitur praedicti ab Hieremia incipiunt a destructione Hierusalem, et incendio Templi, et desinunt in an. 1. Cyri Reg. Persarum qui Hebraeis redeundi fecit libertatem. Conficitur tandem idipsum ex C. ult. Prophetiae Baruc, v. 2. et 3., ubi legitur: *Abducemini in Babyloniam captivi a Nabuchodonosor rege Babyloniorum . . . eritisque ibi annis plurimis, et temporibus longis, usque ad generationes septem; post haec autem educam vos in pace.* Per septem autem generationes, omnium Interpretum sententia, septem decades, seu an. 70. intelliguntur. Stat ergo, quod tempus omne 5. aetatis usque ad solutam Captiv. Babyl., est an. 500.

Duce usquemodo Scriptura, satis certa dare potuimus: ast inquirentes modo tempus sextae aetatis, Scripturae nos deserunt; ideoque aliis ex fontibus, nempe ex Auctoribus, Epochis, et Olimpiadibus, annos inquirere necessum est. Sed ne multa sequendo tempus frustra teramus, in hac tam incerta indagine illos sequimur Auctores, praesertim Musantium, et Brietium, qui huic sextae aetati annos tribuunt 538.

Igi-

Igitur ex nostra supputatione prima ae-tas habet an. - - - - 1656.

Secunda aetas an. - -	458.
Tertia aetas an. - -	430.
Quarta aetas an. - -	480.
Quinta aetas an. - -	500.
Sexta aetas an. - - -	538.

Christus ergo natus est an. m. 4052.

Dicamus modo aliquid de Chronologiae principiis. Tria hujusmodi principia communiter adsignantur, Auctorum fides, observationes coelestes, et Epochae. Auctoritas alia est divina, alia humana: de illa dixit Augustinus l. 18. de Civit. Dei C. 40. *Nos in nostrae religionis historia, fulti auctoritate divina, quidquid ei resistit non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet sese habeant caetera in saecularibus litteris.* Est enim divina auctoritas semper certa, et infallibilis. De illa non adeò semper certi sumus, ut dubium omne repellat, licet multa sint, sola humana auctoritate fulta, de quibus nefas est dubitare: quare idem S. Augustinus: *Conditam Romam tam certum habeo in rebus humanis, quàm Constantinopolim, cum Romam viderim oculis meis; de illa vero nihil noverim, nisi quod aliis testibus credidi* (13. *de Civ. C.* 3.).

Observationes coelestes, praesertim Cometae, et Ecclipses solis, et Lunae, nimirum ortus, et occasus syderum a Scriptoribus diligentissimè consignati: hi enim plurimum juvant ad dignoscendos temporum chara-

ra-

racteres, quos magno studio indagavit, et adnotavit Petavius, Ricciolus, aliique.

Epochae tandem, quae aliud non sunt nisi aliqua tempora certa, seu temporum initia quaedam, ab omnibus, aut plerisque Chronologis admissa, et quae tandem semel statuta reliqua omnia trahunt ad se. *Sicut in Coelo*, inquit Cl. Keillius *sunt certa puncta, a quibus Astronomi in supputandis motibus initium capiunt; ita etiam sunt certa puncta, a quibus tamquam radicibus calculi incipiunt, et res gestae secundum seriem annorum, qui radicem illam sequuntur, in historiis disponuntur.* (*Introduc. in veram Astronom. lect.* 38.) Epochae autem vel sacrae sunt, vel profanae. Primae *sacrae* dicuntur, quia ex divina Scriptura; secundae *profanae*, quia ex humanis historiis habentur. Plures equidem ex utroque fonte derivatae recensentur a Chronologis, ex quibus ad rem nostram nos insigniores quasdam recensemus.

Primam Epocham sacram a Christi Nativitate caeteris praemittimus, non quia prior sit reliquis, sed quia, ut scribit Petavius, *veluti limes, et cardo Chronologiae est, communisque terminus, in quem Chronologorum omnium ratiocinia, sic tamquam ab viarum divortiis, et ambagibus in idem compitum deducta confluunt* (*Ration. Temp. p.* 1. *l.* 1. *c.* 4). Jam Æra, seu Epocha Christi notissima est; non sic ejus natalitia dies: multi enim *biennio*, nonnulli *quadriennio*, et alii *quinquennio* ante vulgarem Æ-

ram

ram Christum natum esse arbitrantur. Sic aliud est dicere ab Incarnatione Christi, aliud a Nativitate Christi; aliud ab Epocha Christi. Quot igitur anni fluxerint a mundi creatione usque ad initium vulgaris Ærae Christi, id certò definiri haud potest. Et hujus magnae difficultatis ratio *una haec est praecipua*, inquit Petavius, *quod annorum illorum calculus non aliundè, quàm ex sacrorum librorum historia deducitur, ea porrò minùs liquidam, et explicatam temporum subductionem continet* (Rat. Temp. p. 2. l. 2. c. 1.). *Neque*, ut subdit P. Calmet, *per profanam historiam, quàm per sacram iter est planius; cum in profanis etiam detruncatae genealogiae, atque supputationes suis numeris minùs absolutae non desint numerum* (Disquisit. in Chron. Ægypt.). Sufficiat ergo nobis insigniores Eruditorum opiniones hìc subjicere. Ab orbe itaque condito ad initium Ærae Christianae fluxerunt

Juxta Bibl. Vulg a.	3951.	Juxta Petavium an.	3383.
Sept. Interpretes a.	5200.	Salianum an.	4054.
Josephum Hebr. a.	5970.	Ricciolum an.	5634.
Graecos recen. an.	5508.	Vossium an.	5598.
Graecos histor. an.	5500.	Langium an.	4042.
Alexandrinos an.	5493.	Calvisium an.	3950.
Hebraeos recen. a.	3761.	Spondanum an.	4052.
Scaligerum an.	3950.	Marianum Scot. an.	4193.
Keplerum an.	3963.	Usserium an.	4004.

Altera Epocha, quae plurimum confert ad intelligentiam veteris historiae, illius praesertim, quae fabulis Poetarum infecta minus habet explorata tempora, est excidium

Ur-

Urbis Trojanae. Haec enim initium sumit, juxta Petavium (l. 19. de Doct. Temp. c. 31.) ab an. Julianae Periodi 5530. ante Aeram vulgarem Christi 1184., vergente in finem vere, diebus 17. ante solstitium.

Tertiae Epochae cardo, et initium quammaximè utilè sumitur ab Olympiadibus. Sed rem istam de Olympiadibus innumeris ambagibus plenam invènio. Quid igitur de istarum epocha statuendum sit, modò aperiam. Olympiades originem traxerunt a Ludis ab Hercule statutis in honorem Jovis circa Olympiam Eleae regionis urbem, a qua et nomen acceperunt. Hercules enim Augea Elidis rege devicto, juxta flumen Alpheum (quod et Pisarum) sacrum certamen instituit, quo Graeciae juventus sese exerceret caestibus, saltu, cursu, disco, et palaestra. Ludi ejusmodi per quinque dies agebantur, et victor, qui olympionices vocabatur, oleastro, seu, ut placet Aristoteli, coronabatur olea, tantumque honoris eidem tribuebatur, ut non per portas civitatis, sed ruinas murorum sublimis in curru reveheretur in patriam. Hoc est primum Olympiorum principium, non tamen Olympiadum. Praeter hanc enim primam ludorum institutionem, altera duo olympiarum initia consignant Eruditi. Primum conjungunt annis Tutelae Lycurgi ante Olympiadem, in qua victor fuit Coraebeus 108., hoc est an. m. 3170. Hujus Olymp. principii meminerunt Aristodemus Eliensis, et Polimius apud Eusebium, ac dicunt

vi-

viginti septem integras Olympiades Coraebum usque decurrisse, ipsumque tamen victorem fuisse denunciatum sub initium Olymp. 28., et tunc primum Olympionicarum nomina notari consuevisse. Revera hos annos bonae notae Scriptores vocant Iphiteos, eo quia Iphitus Lycurgi coevus olympicos ludos restituit an. 442. post primam institutionem, factam ab Hercule. Alterum principium, ipsumque receptissimum, desumitur a Coraebo in stadio victore, unde Olympiades, tempus in Graecia celeberrimum. Iphitaei autem hi anni dicuntur, quia, ut jam diximus, Iphitus Rex Elidis eosdem restauravit. Hoc igitur principio defixo, annus primus Olympiadum cadit in an. ante Christum 777. absolutum, et 776. inchoatum, et ex computo Varronis 22 an. ante Romam conditam; ac proinde an. m. 3278. Ludi vero Olympiaci quinquennali temporis decursu celebrabantur, sive, ut aliis placet, quinquagesimo mense, hoc est post an. 4. et mens. 2. Ast vulgares Olympiades 4. an. spatio devolvuntur.

Ad hujus rei plenariam intelligentiam sciendum postremo est: quid sit Cyclus Lunaris, Cyclus Solaris, Cyclus Indictionis, et quid Periodus Juliana. Cyclus itaque Lunaris est conjunctio motus Lunaris cum solari motu, sive numerus annorum, quo expleto, Sol, et Luna ad idem punctum revertuntur. Is autem numerus olim fuit 2. an., deinde 4., mox 8. ac demum 19., idcirco di-

ctus Decemnovennalis, quorum ultimus Cyclus inventus est a Methone. Annus Julianus dierum 365., et horarum 6. si ducatur per 19., dabit dies 6939., horas 18. Anni vero Lunares 19. habent tantum dies 6732. horas 23. minuta 24., quae faciunt menses Lunares 228. Insuper ergo addi debent 7. menses ejusdem rationis, qui dicuntur *Intercalares*. Ex istis autem mensib. 7. resultant dies 206. horae 17., minuta 8., minutiae 22., qui additi ad menses 228 conficiunt dies 6939., horas 16., minuta 32., minutias 27. Quare vides, Cyclum Decemnovennalem Julianis an. 19. minorem esse hora 1., minutis 27., minutiis 22. Quam differentiam cum non animadvertissent Kalendariorum concinnatores, magnam induxere perturbationem in Novilunia, et Plenilunia: qui de re tempestate Gregorii XIII. a. 1582. correctionis, lunaris antecessus deprehensus est ferè *quatriduo* a constitutione Coeli aberrare. Hinc nata celebris illa Kalendarii correctio, seu emendatio, quae Gregoriana dicitur.

Cyclus autem Solaris est spatium 28. annorum, quibus evolutis, Literae Dominicales ad suum redeunt initium Feriae enim omnes secundùm has Litteras evolvuntur A. B. C. D. E. F. G., ita tamen ut ordine retrogrado recurrant, hoc versiculo expressae: *Gaudet Francus Equo, Dacus Cane, Barbarus Arcu*. Si autem nullus esset an. Bissextilis, Literae hujusmodi an. 7. decurrerentur: at ob Bissextilem, cum duae Litterae uno an.

no-

notentur, ordo Litterarum illarum evolvitur an. 28. v. g. *ut redeatur* ad G. F., unde dictum est initium complicationis.

Cyclus Indictionis est spatium 15. annorum, quod cum fuerit decursum, reditur ad primum. Quonam tempore caeperit Indictionis usus, incertum omnino est. Putarunt plerique ejusmodi Cyclum exordium habuisse ab an. 3. Augusti; at alii ad illud tempus referunt, quo Caesar Augustus Antonium devicit. Nonnulli demum ab an. Christi 312., quando Constantinus M. Maxentium superavit, plenamque christiano orbi libertatem restituit, Indictionis usum in designandis temporibus desumunt. Quare dicunt, Patres Nicaenae Synodi in tanti beneficii memoriam statuisse, ut deinceps a die 24. Septembris, qua die illa victoria contigit, computatio temporum *per Indictiones* perficeretur (*V. Petavium l. 11. de Doct. temp c.* 40.). Ceterum quaecumque fuerit Indictionis origo, triplex Indictio a Chronologis communiter recipitur, nempè Constantinopolitana, qua Graeci utuntur, et incipit a Kal. Sepremb. Caesarea, quae initium sumit ab VIII. Kal Octob., eaque utebantur Romani Imperatores, ac tandem Pontificia, quam suis in Bullis adhibent Pontifices, et incipit a Kal. Januarii.

Periodus tandem Juliana est intervallum excogitatum a conjunctione Cyclorum solaris, lunaris, et Indictionis, conflata ex

an. 7980. Nam 19. ducti in 28. efficiunt 532, qui item ducti per 15. reddunt 7980. sic autem periodus illa constituitur, ut unus annus tantum ex iis 7980. inveniatur, qui habeat hos numeros 1. Cycli solaris, 1. Cycli lunaris, et 1. Indictionis, quibus omnibus numeris evolutis, reditur ad annum, qui eosdem habeat numeros. Juliana autem dicitur, quia ad methodum anni Juliani accomodata est, et illis annis aptanda, qui Julii Caesaris correctionem praecesserunt, ad vitandas diversas annorum rationes, et coelestes inveniendas observationes. Periodus haec excogitata fuit a Josepho Scaligero, illustrata a Petavio, a paucis tamen usurpata ob difficultatem, ac laborem in ea percipienda. Pro usu autem hujus Periodi statuatur annus aliquis certus, cujus perspectos habeamus Cyclos solis, lunae, et Indictionis, ex quo reliquos omnes ordinamus. Ex. cau. annus primus Christi habuit Cyclum solis 9. lunae 1. Indict. Romanae 3. cum littera Dominicali D. C., colligimus, hunc annum fuisse Julianae Periodi 4713., quia in tota hac Periodo nullus est annus, qui ita dispositos numeros habeat. Quomodo vero singulorum annorum possint Cycli reperiri, legatur Petavius de Doctr. temp., et in Rationali, ubi haec omnia proponuntur, et revocantur ad praxim; nobis namque non licet super his diutius immorari, cum haec ad rem nostram ex abundantia potius, quàm ex necessitate dare statuimus. Attamen in Chronologia no-

stra

stra annus quilibet Periodi Julianae facile invenitur, quia principium hujus periodi ponimus an. 660. initium mundi praecedere; qui anni 660. anno mundi oblato conjuncti reddunt annum Periodi Julianae.

CAPUT II.

De libris Canonicis Sacrarum Scripturarum.

Canonici libri alii Veteris sunt, alii novi Testamenti. Vetus testamentum complectitur sacros libros 45., Novum vero 27., quorum alterutriusque nomina hic recensentur.

Veter. Test. Libri. Genesis, Exodus, Leviticus, Numerorum, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, Libri 4. Regum, Libri 2. Paralipomenon, 2. Esdrae, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapientiae, Ecclesiasticus, Isaiae, Jeremiae, Baruch, Ezechielis, Danielis, Osee, Joelis, Amos, Abdiae, Jonae, Michaeae, Nahum, Habacuc, Sophoniae, Aggaei, Zachariae, Malachiae, 2. Machabaeorum.

Novi Test. 4. Evangelia Matthaei, Marci, Lucae, Joannis, Actus Apostolorum, Epistolae Pauli ad Romanos, ad Corinthios duae, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses una, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos una, Jacobi una, Petri duae, Joannis tres, Judae una, Apocalypsis Joannis.

Hi omnes recensiti Libri, quibus constat sermo divinus, Canonici dicuntur, quia ab omnibus Ecclesiis ubique terrarum recepti, et in Canonem, seu Cathalogum Sacrarum Scripturarum quia relati, tamquam non humano ingenio conscripti, sed ut divinitùs inspirati. Quoniam vero non omnes sacri Libri uno, eodemque tempore in Canone positi fuerint, et alii aliis majori extiterint in veneratione, neque apud omnes Ecclesias, ut inquit Augustinus (*De Doct. Chris. l.* 2. *c.* 8.) eamdem auctoritatem obtinuerint: hinc causae fuit, ut eos Catholici ad tres Classes revocarent, nempè Proto-Canonicos, Deutero-Canonicos, et Apocryphos. In prima classe comprehenduntur illi, de quibus nunquam fuit dubitatum, an fuerint, necne divini, et inspirati Altera classis eorum est, qui estò divini, et canonici, dubium tamen olim obrepsit, an essent hujusmodi, cum non ab omnibus pro canonicis haberentur, et solùm, ut scribit S. Hieronymus Praef. in Proverbia, *ad aedificationnm plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum* legebantur in Ecclesia; unde *Ecclesiastici* dicti. Ad tertiam postremò classem illi revocantur, quos ut inspiratos numquam recepit Ecclesia, *eo quod*, ut verbis utar Augustini, *eorum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima, et notissima successione pervenit* (*De Civ. D.*). In his autem Apocryphis, etsi inveniatur aliqua veritas, tamen pro-

pter

pter multa falsa nulla est canonica auctoritas (*De Civit. Dei L.* 15. *C.* 23.) Hujusce generis sunt Oratio *Manasse*, tertius, et quartus liber *Esdrae*, tertius, et quartus *Macabaeorum*, aliique non pauci, qui sub nominibus Enoch, aliorumque Prophetarum, et Apostolorum ab Haereticis proferuntur.

Hebraei solummodo 22. libros Vet. Testamenti in canonem suum referunt : attamen ipsi Hebraei 24. libros distinctè recipiunt, eosque in tres partes secernunt, legem, scilicet, Prophetas, Hagiographa. Lex continet 5. libros Moysis ; Prophetae complectuntur eos, qui extant sub nomine Prophetarum, uno excepto Daniele ; itemque Josue, Judices, Reges, et Ruth. Hagiographa sunt Job, Psalmi, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum, Daniel, Paralipomenon, Esdras, Esther. Catholici vero sacros libros in quatuor classes dispertiunt, legales, Historicos, Sapientiales, Propheticos. Vet. Testamenti Legales libri sunt Pentateuchus; Novi, quatuor Evangelia. Historici Josue, Judices, Ruth, Reges, Paralipomenon, Esdras, Tobias, Esther, Job, Macabaei; Novi Acta Apostolorum. Sapientiales Proverbia, Ecclesiastes, Canticum. Sapientia, Ecclesiasticus; Novi Epistolae Pauli, aliorumque Apostolorum. Prophetici Psalmi, et reliqui Prophetae ; Novi Apocalypsis.

Libri omnes Vet. Testamenti hebraica lingua conscripti fuerunt, exceptis Sapientia, Ecclesiastico, Tobia, Judith, et Macabaeis,

qui

qui graecè extant. S. Hieronymus scribit, Tobiam, et Judith ex Caldaica lingua a se fuisse conversos (Lege ipsius Praefationes ad singulos Scripturae libros): itemque se vidisse testatur, priorem Macabaeorum hebraicè exaratum; nam secundus est graecè conscriptus. Insuper Sapientiam hebraicè extitisse ait, et Ecclesiasticum ex hebraea lingua translatum fuisse in graecam, ejus prologus declarat. Daniel a v. 4. Cap. 2. usque ad integrum Cap. 8. Caldaica lingua loquitur; id quod in v. 11. Cap. 10 Jeremiae reperimus. Item in 1. Esdrae a v. 8. Cap. 4. usque ad v. 27. C. 7. Caldaicum est. In lib. Jobi quaedam voces Arabicae sese offerunt. Tandem nonnulla, quae Danieli, et Estheri adjecta sunt, graecè conscripta leguntur. Omnes vero novi Test. Scriptores graeca lingua usi sunt, si unum excipias Matthaeum, qui hebraica lingua, sive Syro-Caldaea, Evangelium suum exaravit: ejus tamen autographum deperditum est; et quae extat, versio graeca, pro Autographo habetur.

CAPUT 3.

De sacrae Scripturae definitione, ac partitione.

SAcra Scriptura est *Verbum Dei sive per se, sive per homines in Canonicis libris nobis manifestatum*. Dicitur *Verbum Dei*, non quidem increatum, quod est Unigenitus Dei Filius, quem Pater *ab aeterno* sibi coaequalem ex

ex ipsa sua genuit natura; sed verbum creatum, quod nempè protulit *ab extra*, ad aures hominum usque pertingens, veluti sonus, et efficax sermo. Additur *sive per se*, *sive per homines*, etenim quandoque Deus Angelorum, hominumque ministerio usus est, et loquendo per eos ipse locutus est: unde Apostolus ait: *Multifariam, multisque modis olim Deus locutus est Patribus in Prophetis*; *novissimè locutus est in Filio* (Hebr. c. 1.) Tandem adjungitur *in Canonicis libris manifestatum*, quo signanter innuitur sacer ille Codex, qui cuncta Dei eloquia complectitur, servatque. Et iste Codex est *Biblia*, quasi dicat a voce graeca libellum, seu parvum librum, parvum quidem mole, rebus autem summum.

Dividitur autem Scriptura, seu Biblia in vetus, et novum Testamentum. Testamentum idem est, ac foedus, quod Deus cum hominibus iniit, eosque devicit. Dicitur hebraicè *Berith*. Vetus Testamentum continet mundi, et gentis Israeliticae historiam ad adventum usque Messiae. Novum vero Christi ipsius Nativitatem, vitam, miracula, passionem, mortem, resurrectionem, adscensum in Coelum, et Apostolorum facta, et scripta. Quot sint utriusque Test. Libri, constat ex Cap. super.; de his omnibus hic sigillatim agendum est; ac primo

CAPUT IV.

De Genesi.

GEnesis graeca vox est *Genesis* quae generationem, seu ortum significat; in Hebraeo vero *Beresith*, quae vox idem sanat ac *In principio*. Genesis namque est ortus omnium rerum, quae prius non erant, et principium operationum Dei *ab extra*. Continet historiam an. circiter 2369., ab exordio nempe mundi usq. ad mortem Josephi, quae in fine Capitis ult. describitur. Habet Capita 50. Res vero praecipuae scitu dignae, quae hoc temporis decursu evenerunt, ad haec capita reducuntur.

1. Adam omnium hominum a Deo conditus Pater, et in amaenissimo voluptatis loco (quem Paradisi nomine designamus) positus a creatione sua, post modicum temporis de non comedendo pomo arboris scientiae boni, et mali, divinum mandatum negligens, ex inde statim ejectus est, et omnibus naturae, et gratiae donis denudatus, se, totamque suam posteritatem morti, ceterisque, quas nunc experimur, aerumnis damnavit. Nuditatem parentum nostrorum operit Deus post peccatum tunicis pelliceis. Cap. 3.

2. Adam ex Eva uxore sua generat Cainum, qui invidia ductus Abelem fratrem suum innocentem occidit fraudulenter. Propterea Cain ejicitur a facie Dei, et vagus,

et

et profugus pergit ad Orientalem plagam, ibique aedificat civitatem, quam a nomine filii sui primogeniti vocat Henochiam. Haec est mundi totius prima condita Civitas. Cap. 3.

3. Enos filius Seth, filii Adae, Deo placens transfertur. Filii Dei (intellige veros Dei cultores ex Seth progenitos) matrimonia ineunt cum filiabus hominum, hocest ex progenie Caini; quare terra *iniquitatibus* corrumpitur, et peccata adeò multiplicantur, ut Deus decreverit, aquae diluvium immittere ad perdendam omnem carnem. Jubet praeterea Noemo an. m. 1556., ut fabricet Arcam secundum formam ab ipso Deo receptam, Long. scilicet cubitorum 300., Latitud. 50., altitud. 30., in qua cum tota familia sua salvetur omne semen animantium tàm ex reptilibus, quàm ex volucribus. Cap. 6. Aquae diluvii perdurarunt 40. diebus, et 40. noctibus. Mansit vero Noe in Arca cum suis, et animantibus 375. dies, hoc est, an. unum, dies decem, donec exsiccaretur terra. Cap. 7. et 8., an. m. 1657. Et en secundae aetatis initium.

4. Noe inebriatus mero uvis expresso, nudus jacet in tabernaculo suo, quem videns Cam denunciat fratribus suis, qui a tergo ambulantes patris virilia pallio cooperuerunt an. m. 1671. Evigilans autem Noe, cum rescivisset, quod fecerat Cam, eum maledixit in Canan filio suo. Hic est pater Cananaeorum. Cap. 9.

5. Filii filiorum Noe, percitis consiliis, in

in unum conveniunt in terram Sennaar (hoc est initium Babylonis magnae), monumentum commune, nempè Civitatem, et turrim, cujus cacumen pertingat Coelum, publicis sumptibus excitaturi an. 1854. Ut igitur ab incaepta stultitia insani homines illi retrahant manum, confundit Deus linguam eorum (erat enim terra tunc labii unius), ita ut non audiret unusquisque linguam proximi sui. En celebris illa confusio linguarum, simulque dispersio hominum per familias suas in universam terram. En origo diversarum Gentium, atque Nationum. Cap. 11. (*).

Na-

* Jam turris illa famosa, juxta D. Hieronymum, cujus tempestate nonnulla adhuc extabant vestigia, in altum conscenderat ad duo millia passuum, et tanta erat, ut scribit Josephus, turris illius latitudo in quadrum disposita, ut videretur esse altitudini aequalis. In hoc opere perficiendo 40. an. juxta Cedrenum, consumpserunt inutiliter filii Adae. Ratio hujus laboris, ex sacro textu, fuit superbia, seu communis nominis celebritas. Altera juxta plurimos accessit ratio, nimirum, ut sibi, suisque posteris certum pararent refugium, si aliquando Deus novum diluvium immittere voluisset, sive aquae, sive ignis.

Ex Noemi praescripto divisus jam erat orbis universus in tres partes; Semo cessit Asia omnis praeter Asiam minorem, et partem Syriae. Japheto Europa tota cum Asia minore; Chamo Affrica universa cum Palaestina, atque Phaenicia. Haec autem divisio antea facta, perfecta est post linguarum confusionem, quando undequaque per or-

orbem singulae familiae patres sequebantur suos, quorum linguam intelligebant, in familia solius Heber perseverante lingua Hebraea an. 1877.

Hinc incipiunt Imperia inter homines. Nembrod namque, qui et Belus, f. Chusi Chami nepos an. m. 1879. Babylonicum regnum omnium primum adoritur, fundatque, quod an. tenuit 65. Mortuo Nembrod Ninus f. ejus succedit an. 1944. Hic cultu divino venerari caepit patrem Belum, cujus postea cultus ad Syrios transiit, aliasque gentes sub nomine Baal Ninus urbem magnam aedificavit ad Tygrim fluvium, a suo nomine Ninive dictam. Haec urbs 480. stadiis (stadium est octava pars milliarii) hoc est milliariis 60. per circuitum extendebatur: meritò idcircò sedes, et caput Assyrii Imperii effecta. An. imperii sui 40. Zoroastrem Reg. Bactrianorum armis Ninus devicit, ac caecidit. Zoroastres primus magiae inventor, et princeps. Nino tandem e vivis sublato an. Regni sui 52. succedit Semiramis uxor, foemina quidem virilis animi, sed regnandi cupida. Haec multa gessit bella, quae apud Justinum describuntur, cujus etiam studium fuit sic amplificare Babylonem jam a Belo instructam, ut meritò diceretur eam ipsa fundasse. Tandem ut regnum sibi firmet, Niniam filium de incestuoso crimine erga se mendaciter accusat; quare ab ipso interfecta est; quam tamen sub specie columbae, et signis Assyriae militaribus colendam praefigit. Regnavit Semiramis an. 42.

Sub hoc ipso saeculo 19. a creatione mundi alia regna non pauca initia sumpserunt. Aegialius enim, a quo Peloponesus Aegialia dicta est, Syciniorum Regni jacet fundamenta an. m. 1890. Cui succedit in regno Europs, a quo nomen Europae inditum arbitrantur nonnulli, antequam a Jove Tauro Europia Tyria in fabulis raperetur. Hoc regnum 1000. circiter an. duravit. Antiquissimos quoque esse Reges Aegypti ex gravissimis Auctoribus didicimus. Revera cum Abraham, urgen-

gente fame in Canaditis regione, descendit cum Sara in Aegyptum an. 2114 jam Aegypti reges nomen Pharaonis absumpserant, quod nomen erat non personae, sed dignitatis. Et tunc sceptrum tenebat Mencheres, qui post raptum Sarae fecit cum Abraham amicitiam. Praecesserant autem hunc Mencherem plurimi alii reges in Aegypto; nam primus, qui ibidem regnaverit, fuit Menes, aliter Juppiter Hammon, ex Cam prognatis, qui Memphi civitatem aedificavit. Post hujus mortem unus ex filiis ejus Athotis, qui et Mercurius, regnat Thebis, alter Tosorthrus, qui et Aesculapius, Memphi; tertius Curudes Heliopoleos regnum fundat. Deinceps in plures Dynastias divisa creditur Aegyptus, quandiù Pharaones soli regnassent. Sicque Noè humani generis servator ante mortem suam multos ex suis nepotibus vidit fulgentes Reges Mortuus est autem Noe an. aet. suae 950., mundi vero 2006

Nascitur Abram ex Thare an. 2039, qui cum 75. esset annorum jussus est a Deo peregrinari ex Haran in Palaestinam. Pergens altaria erigit, offert sacrificia magno Deo, qui eidem promittit, se magnum facturum, et gloriosum in cunctis gentibus, terramque illam Cananaeorum semini suo daturum. Secum ducit Saram uxorem, et Loth nepotem suum. Fratres autem erant Loth, et Sara ex Aran geniti fr. Abrami; ille n. an 2048. ista 2049 Erat ergo Sara uxor, et soror secunda Abrami, junior marito an. 10. Saeviente autem fame in universa terra illa, descendit Abram cum Sara in Aegyptum, et quae eidem ibi acciderint, narrat Cap. 12. (*).

Re-

* Humanae Societates monarchico regimine impatientes. Quandoquidem Cres Corybantum unus an. m. 2097 in Creta regnasse perhibetur, cui et nomen suum reliquit. Dicti autem sunt Corybantes vel ab arte tondendi capillos, vel quia Jovem puerum nutrissent, aera pulsantes, dum puer ille Deus vagiret, ne a Saturno patre detegeretur et voraretur. Hic est ille Jovis omnium antiquissimus (plures namque fuerunt Joves, et Joves Cretenses) natus Abrami temporibus circa an. 2 00. qui licet tam serò genitus, creditus tamen est Deorum, hominumque pater. Hujus fratres fuerunt Neptunus suae Classis Praefectus, et Pluto, funerum, et libitinarii apparatus inventor, cui idcircò demandabant mortuorum curam: unde tam magna Poetarum figmenta. Ab hoc Jove Cretenses semper mendaces dicti sunt, eo quod ipsum Deum maximum praedicabant, cujus in Insula cunas, et sepulchrum habuisse gloriabantur.

Argivorum quoque Regni an. m. 2197. fundamenta ponit Jnachus adeo antiquus, ut ejus pater ignoraretur, ideoque et Priscus appellatus. Inachi uxor fuit Niobe Phoronaei fr. filia, apud Mythologos in scopulum conversa. Ejus filia Io, sive Jone a Jove vim passa, quam propterèa Juno Jovis uxor cum ex zelotypia malè in Graecia tractasset, illa in Aegypto deportata, culta est ut Dea; eamque postea Graecia, et Poetarum figmenta in vaccam mugientem verterunt.

Ogyges item in Attica Eleusinam civitatem condit an 2271., urbem famosam ob scelera a sacrificia Cereri exhibita. Hujus Ogygis tempore, an scilicet 2292., ingens inundatio vastavit Achajam, quae idcirco dicta est Ogygium diluvium.

An. 2336 Sparta nobilis civitas in Peloponeso a Sparta Phoronaei filio vel condita est, vel saltem reparata, cui nomen suum tribuit, licet ab aliis hic honos ad Spartam Europae filiam referatur. Argus item nomen dat Argivorum regno

2342.

2342. Hunc Poetae centoculum faciunt; ut ejus summam solertiam in praeveniendis, et praevidendis casibus, et inconcinnam corporis deformitatem una simul repraesentarent. Circa haec tempora, ut scribit Augustinus, Graecia uti caepit frugibus suis, cum hactenus frumento aliunde asportato vixisset, agros colere, et segetes metere per Cererem edocta. Quae res mulierculae de patria benemerenti divinos peperit honores.

Reversus autem Abram in Canaan, propter jurgia pastorum utriusque dividitur a Loth nepote 2118., qui cum in valle pinguissima Pentapolitanorum circa Sodomam habitare elegisset: ductus tandem est captivus cum omni substantia sua a quatuor regibus Persis, et Babyloniis adv. quinque reges pugnantibus, qui victi fuerunt. Victores persequens Abram cum 318. vernaculis suis, eos vastat in Hoba ad Levam Damasci, et reges captivos adductos, Loth, uxores, et populum reducit. Hoc praeclaro facinore excitatus Melchisedech Rex Salem (haec est Jerusalem) obviam pergit Abrahae, panem, et vinum profert, eique benedicit. Ex hoc Cap. 14 Gen. intelligimus, jam tunc ubique reges dominari an. 2118. Abram jam an. 99. agenti Circumcisio a Deo imperatur an. 2138. Exinde nomen productius ex Abram in Abraham, quod idem est, ac Pater multarum gentium.

Hoc ipso anno Abraham enixè rogat pro salute Sodomorum, qui pessimi homines erant: sed quia inter eos decem justi non re-

pe-

periuntur, igne coelesti tota consumitur cum tribus aliis Pentapoleos civitatibus, una excepta Segor, Lothi precibus ad refugium concessa. Inde Loth in montem profugus ab Angelo indicatum, uxor ejus ad voces pereuntium respiciens, versa est in figmentum salis. Loth vero in monte consultò a filiabus suis inebriatus vino, cum eis nesciens congreditur, quae ambae concipiunt concubitu uno: major parit filium, quem vocat Maob (hic est pater Moabitarum); minor quoque filium effudit, eumque nomine vocat Ammon (hic est Ammonitarum pater) Cap. 19. an. 2139 Paulo post Abraham contendit ad Abimelech Reg. Geraris, virum utique frugem, qui ab Abrahamo deceptus, quia dixerat Saram suam esse sororem, ut cum Pharaone fecerat in Aegypto, ipsam tulit sibi: sed a Deo perterritus eam statim reddit incolumem, et cum marito de mendacio conquestus modestè, amicitiae foedus pepigit cum eo, muneribus aucto, et Sarae donat 1000. argenteos, ut sint in velum oculorum suorum, dicens ei: *Mementoque te deprehensam*. Nobile quidem Idololatrae exemplum circa foeminarum modestiam satagentis. Cap. 20.

Sara sterilis, et jam nonagenaria cum ingenti totius familiae gaudio parit filium Abrahamo, ut Dominus eidem promiserat, Cap. 15., quem vocat Isaac. Hunc filium, spondet Deus, se facturum in gentem magnam, Cap. 21. an. 2139. Ismael, et Agar

D pel-

pelluntur de domo Abrahae (Cap. eod.) , cum Isaac 5. esset annorum an 2144.

Isaac jam 25. annum agens , jussu Dei sistitur in monte Moria ab ipso Patre immolandus, ut ejus fidem, et obedientiam probaret; sed in ipsa actione clamat Angelus , ne feriat. C. 22. an. 2164.

Rebecca fil. Batuelis, filii Melchae uxoris Nachor frat. Abrahae, puella decora, et virgo pulcherrima, conjugali foedere Isaaco jam quadragenario copulatur Cap. 24. an. 2179. Quae tandem post sterilitatem 20. an. duos concipit geminos , qui in utero ejus collidebantur ad invicem : quo significabatur, quod *duae gentes, et duo populi ex ventre suo dividerentur*. Qui prior in partu egressus est, Esau nominatur, quia rufus, et hispidus pelle; alter, qui posterior, Jacob, eo quod egrediens fratris plantam manu tenebat ; occulta quidem, et mistica ratio , quia *major serviet minori*, Cap. 25. 2199.

Moritur Sara. an. 2176., quae plangitur, et sepelitur in spelunca duplici, quam Abraham pecunia emerat ab Ephrone de Civ. Arbee, C. 23. Moritur quoque Abraham an. aet. suae 175., et apponitur Sarae uxori suae in spelunca eadem, Cap. 25. an. m. 2213.

Esau ob vilem escam primogeniti jura vendit fratri suo, Capite eodem. Ipse ducit uxores alienigenas; unde Rebeccae offensio, et religionis detrimentum. Cap. 26. an. 2218. Tandem Jacob divino matris consilio ab

Isaaco

Isaaco patre, ex senectute jam caecutiente, excogitatis artibus primogeniti benedictionem extorquet. Et en inter hos geminos principium inimicitiae grandis: quare Jacob, ut odium fratris declinaret, fugere coactus est in Mesopotamiam ad avunculum suum Labanum. Cap. 27. an. 2276.

Manet Jacob in Mesopotamia an. 20., et post 7. annos servitutis duas filias Labani, Liam, et Rachelem sibi desponsat. Duas iterum alias ducit secundarias uxores, Balam famulam Rachelis, et Zelpham famulam Liae. Ex hisce mulieribus sequentes generat filios: ex Lia Ruben, Simeon, Levi, Judam, Isacar, Zabulon, et Dinam: ex Rachele solum Joseph, ac deinde post reditum in Cananaeam Beniaminum; in cujus partu mortua ipsa est: ex *Balam* Dan, et Nephtali: ex Zelpha Gad, et Aser; omnes num. 12. Cap. 30. Alia multa scitu digna, quae sub id temporis inter Jacob et Labanum evenerunt, narrant quatuor antecedentia Capita, item et sequens 31.

Jacob jam valde ditatus cum tota familia sua gregibus, et substantiis, quas fecerat, clam fugit ex Mesopotamia, ad domum patris sui reversurus: quem armata manu furens persequitur Laban. Ast accipit desuper interdictum, ne quid vel durè adversum Jacob loquatur: quare pacificè compositis rebus, ab invicem dividuntur In itinere Jacob luctatur cum Angelo; ex quo ob foemoris luxationem factus est claudus

uno pede: unde ei nomen Israelis, Cap. 32. an. 2296.

Conciliatur cum Esau contra se veniente cum 400. militibus stipato, quem verbis pacificis, muneribusque placat, Cap. 33. an. eodem.

Filius Principis Sichimorum rapit Dinam, eamque opprimit vi: quare fratres ejus ob stupri vindictam, post simulatam amicitiam, eisque datam Circumcisionem, omnes masculos vulnere decumbentes gladio interficiunt, et urbem depopulantur, Cap. 34 an. eodem.

Moritur Rachel, et sepelitur in via, quae ducit Ephratam, haec est Bethlehem, Cap. 35. an. 2306. Moritur quoque Isaac an. aet. suae 180., et appositus est populo suo in Mambre, haec est Hebron, Cap. 35. an. 2318.

Cap. 36. describuntur generationes Esau, et Imperia filiorum ejus; hoc est Idumaeorum. Cap. vero 37. recensetur odium et invidia filiorum Jacob adv. Joseph fr. ipsorum; quem tandem vendiderunt Ismaelitis, a quibus hoc ipso anno perductus in Ægyptum iterum venditus est Putiphari Eunucho Pharaonis, Principi exercitus: erat tunc Joseph an. 17. Cap. 38. habes congressum Judae cum Thamar nuru sua, ex qua nati sunt Phares, et Zara progenitores Christi, an. 2326. Joseph in domo Putipharis ab hera sua ad inhonesta saepe frustra solicitatus, irata mulier eum convenit fraudulenter apud ma-

maritum: qua de re conjicitur in carcerem, in quo vincti regis custodiebántur, an. 2316 ibique mansit tribus annis, et somnia duorum servorum Pharaonis per prophetiae spiritum dissolvit, Cap. 39. Ob hanc vero divinam conjiciendorum somniorum solertiam; ipso Pharaone somniante, e carcere vocatur ad imperium, cum jam 30. esset annorum. Cap. 40., et 41. Et en venditum invidia puerum, et servum fidelem a scelerata muliere turpiter maculatum, secundum post Pharaonem in Ægypto, an. 2319.

Quae sapienter gesserit Joseph, tamquam primus Regni minister, in Aula Pharaonis ad salvandam universam terram a tempestate famis 7. an. sterilitatis: similiter et ea, quae fecerit circa fratres, et patrem suum, qui tandem cum tota familia sua descendit in Ægyptum an. 2329., ut habitarent in pinguissima terra Gessen, narrantur a Cap. 42. usque ad 48. Erat autem Jacob, quando venit in Ægyptum, an. 130.

Post haec infirmatur Jacob (Cap. 48.), et moriens omnibus filiis suis cum ipso Josepho, ejusque liberis Manasse, et Ephraim praesentibus benè precatur. Corpus autem ejus aromatibus conditum deportatur ad sepeliendum in sepulchro patrum suorum in terra Canaan, cum magna funeris pompa, regioque comitatu curruum, et equitum, ipso quoque Josepho adstante, Cap. 49., an. aet. suae 147. m 2346. Cap. 50. describitur mors Josephi, expletis 110. annis vitae suae,

mun-

mundi vero 2399. Deficiens jurejurando obstrinxit fratres suos, ut cum tempus advenisset redeundi in terram Canaan, secum adsportarent ossa sua in sepulchro patrum suorum locanda: quod et factum est, ut habetur Exodi Cap. 13. (*).

* Circa an. 2230. creditur natus fuisse Job in Hussiditis regione ex Zara filio Esau, vir quidem origine Idumaeus, non tamen moribus. Anno autem agenti Jobo aet. 72. eas omnes calamitates acciderunt, quas liber narrat ejus nomine inscriptus.

CAPUT V.

De Exodo.

Alter Vet. Test. liber *Exodus*, ita dictus ob insignem liberationem filiorum Israel a servitute Ægypti. Hujus quoque nomen graecum est Exodos, hebraicè vero Véélle Semoth, idest *et haec nomina*, a primis ipsius libri dictionibus nuncupatur. Habet C. 40.

Liber Exodi historiam complectitur rerum gestarum per an. 145 usque ad an. m. 2544., qui finem imponit 3. aetatis, nempe 1. durissimam Israelitici populi servitutem sub Pharaonibus nescientibus Joseph; quae servitus summatim describitur Cap. 1. et 2. Onera, et labores, quibus filii Jacob oppressi fuerunt in eruendo, ferendo, coquendoque terram ad perficiendum lateres; regale imperium, ut omnes infantes mascu-

li-

lini sexus ipsa sub nativitate interficerentur, aut dejicerentur in flumen. An. m. 2459. nascitur Maria soror Moysis, ita dicta ab amaritudine, quoniam inter lacrymas amarissimae servitutis in lucem prodiit. An. vero 2461. nascitur Aaron fr. Moysis, qui Ægyptiarum obstetricum opera incolumis servatur. An. tandem 2464. lucem excipit Moyses ex Amramo, et Jochabetha, partu tam facili, et expedito matris, ut circumstantes, et observantes Ægyptios fefellerit. Diù tamen occultus servari non potuit; nam post tres menses necesse fuit, fluentibus Nili in fiscella eumdem committere; hinc Dei Providentia a Thermuti f. Pharaonis ereptus, ipsi matri nesciens ablactandum tradit quasi filium, pacta mercede. Hinc factum est, quod Moyses creditus est filius filiae Pharaonis; quem ipsa recepit ab Jochabeta an. 2467, et filii loco semper habuit, eumque omnibus scientiis magna solertia instrui fecit in Aula, et in quibus ipse plurimum profecit. An. vero 40 aet. suae, qui fuit m. 2503., Moyses adoptionem aegyptiacam, et regiam fugiens despexit, et Hebraeum se dixit, et gessit, Cap. 2 (*).

2.

* Ad an. 2412. refertur a plerisque Atlas rex magnus, et Astrologiae Princeps, qui cum plerumque conscenderet altissimum Mauritaniae montem, cui et nomen suum reliquit, ut astrorum motus conspicaret, creditus est Coelum ipsum suis humeris fulcire.

Rex

Rex Aegyptius, qui Josephi oblitus, opprimere caepit Hebraeos, creditur Amenophis secundus, qui a plerisque et Memnon dictus est, regnum administrare caepit an. 2438, adeoque hic annus haberi potest pro initio persecutionis adversus Israelitas.

Phorbas Rex Argivorum an. 2466. regnum iniit, et post aliquot annos Rhodum insulam occupavit, quae a nemoribus, et serpentibus vindicata incoli caepit, adeo ut deinceps famosa, atque firmissima fuerit effecta. Quare Soli sacra fuit, quia in ea nullo non die sol appareret. In ea excitavit Colossum magnitudine, et celebritate pari, quod multa post saecula terraemotus dejecit.

An. 2491. volunt plerique natum Josue, magnum Ducem Hebraeorum, ex Tribu Ephraim, cujus pater in hebraeo textu, et juxta Septuaginta fuit Nun. Initio vocatus fuit Osee, et nomen Josue mutatus est ei, postquam, Palaestina explorata, fidelis inventus est. Utrumque tamen nomen hebraicè *Servatorem* sonat.

2. Liberationem a servitute. Etenim cum Deus exaudisset tandem gemitus populi sui, et recordatus fuisset foederis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, et Jacob; Moysi, qui tunc pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian, apparet in monte Horeb in flamma ignis de medio rubi, eique praecipit, ut adeat Pharaonem, ut dimittat populum suum. Cap. 3. et 4. an. 2543. Quae gessit Moyses una cum Arone fr. suo coram Pharaone, et Principibus ejus, et prodigia magna ab ipso Moyse patrata (vulgo decem Aegypti plagae): ecce describuntur Cap. 7. 8. 9. 10. 11. Erat autem Moyses cum ingressus est ad Pharaonem cum Aaron fr. suo an.

80. Post haec sub duce Moyse dimittit Pharao, totaque simul Aegyptus captivum Israelem, ut vadat. Et en Phase, idest transitus Domini, et esus agni prima institutio, Cap. 12. Nocte autem fugit populus de medio Aegypti, indicio columnae ignis, quae praecedebat castra. Sicque exierunt de Aegypto Hebraei ad sexcenta millia virorum cum liberis, et uxoribus; cum in ea ducentis et amplius haesissent annis ab ingressu Jacobi, an. 2544. die 14. Martii.

3. Transvexionem Israelis per medium rubri maris. Cum etenim tota Hebraeorum multitudo die 21. mensis ejusdem ad mare pervenisset rubrum, videt a tergo Pharaonem cum exercitu nimio persequentem fugitivos, ut iterum ad servitutem pristinam revocaret: sicque perterritus populus vehementer, jam incipit obmurmurare adv. Moysem; qui idcirco, excitata prius concione eorum fide, virga dein percurit mare, quod illicò in duas partes transversim dividitur: atque ita per concava aquarum sicco vestigio ad alteram partem tota multitudo transvehitur incolumis. Israelis vestigia prosequitur excaecatus Pharao cum exercitu suo, curribus, et equitibus: et ecce ad elevationem manuum Moysis, super se redeuntes aquae, Pharao, Aegyptii, currus, et equites, quin evadere unus potuisset, mediis fluctibus submerguntur tamquam plumbum in profundum, Cap 14.; interim in opposita statione maximas Deo grates canentibus Hebraeis

braeis, Cap. 15. Quod vero attinet ad mansiones, et murmurationes populi adv. Moysem et Aaron usque ad radices montis Sinai, itemque prodigia a Moyse patrata, et pluviam mannae, qua Deus quotidie aluit populum suum per an. 40. narrantur a Cap. 16. usque ad 18.

4. Ascensionem Moysis cum Deo in montem Sinai, et legis ibidem acceptae promulgationem ad populum., tabernaculi construtionem, ejusque ornatum, vituli aurei conflationem, idololatriae scelus, retrográdas hinc inde populi mansiones, ejusque peccata varia, et plagas a Deo immissas per 40. an., donec consumarentur toti, qui nati fuerant in Aegypto: de quibus a Cap. 18. usque ad 40.

CAPUT VI.

De Levitico.

Eviticus, qui ab Hebraeis dicitur *Torat hocohanim*, idest Lex Sacerdotum, seu *Vaicra*, *et vocavit*, a prima libri dictione, ut mos est Hebraeis, inscribitur. Hic liber totus est in recensendis legibus, quae Levi posteris Sacerdotio admotis sunt divinitus injunctae ad publicè ineundum religionis cultum. Continet namque Levitici muneris dispositionem, ritus, coeremonias in officiis Levitarum servandas, genera varia holocaustorum, sacrificiorum, et oblationum, eligen-

dorum

dorum ad hujusmodi divinum ministerium animi, corporisque dispositiones, et qualitates, indictionem festorum dierum, anni Jubilaei promulgationem, aliaque quampluri- ma scitu digna; quae populus Dei edoctus est intra unum mensem, atque dimidium; scilicet ab erecto die prima mensis primi an. secundi Exodi Tabernaculo ad mensem usque secundum ejusdem anni, in quo Deus servo suo Moysi praecepit censum, seu numerationem tribuum populi sui. Habet Cap. 27.

CAPUT VII.

De Libro Numerorum.

Liber Numerorum juxta Latinos; Graeci autem illum dicunt Arithmoi; Hebraei tandem de more a prima hujus libri voce nomen eidem imponunt *Vaiedaber*, nempe, *et locutus est*. Continet historiam an. fermè 39. nimirum res gestas, et leges promulgatas a secundo mense an. secundi post exitum ex Aegypto usque ad initium mensis undecimi an. quadragesimi. Habet Cap. 36.

1. Census populi institutus est per cognationes, domos, et familias et capita singularum tribuum, tantum masculini sexus ab an. 20. et supra, exceptis parvulis, atque mulieribus. Igitur ex tribu Simeon inventi sunt viri procedentes ad bellum 46500. Ex tribu Simeon 59300. Ex tribu Gad 45650. Ex tribu Juda 75600. Ex tribu Issachar 54400.

Ex

Ex tribu Zabulon 57400. De filiis Joseph, ex tribu Ephraim 40500. Ex tribu Manasse 32200. Ex tribu Beniamin 35400 Ex tribu Dan 62700. Ex tribu Aser 41500. Ex tribu Nephtali 53400. Summa igitur virorum procedentium ad bellum sexcenta tria millia quingenti quinquaginta, Cap. 1. Prodigiosa quidem videtur hujusmodi Israelitici populi propagatio, cum tantum septuaginta animae ingressae fuerint cum Jacob in Aegyptum (*ex Gen. C.* 46), et cum tot ex infantulis occisi fuerint. aut aquis praefocati, sub Pharaonibus persequentibus; nec tamen istorum aliquis recensitorum propter eorum peccata ingressus est in Cananaeam, praeter Caleb, et Josue.

2. Numerati quoque sunt divisim, ex Dei jussu, filii Levi per nomina sua, Gerson, et Caath, et Merari, ab uno mense, et supra masculini sexus. Et inventi sunt ex familia Gerson 7500. Ex familia Caath 8600. Ex familia Merari 6200. Summa viginti tria millia. Minima igitur est in sobole in omnibus *Tribubus* Israel tribus Levi. Istis solummodo sacrorum ministerium demandatum est sub Aarone Sacerdote maximo, et excubare debuerant circa Tabernaculum foederis juxta ordinem a Deo praescriptum, et ad ipsum Tabernaculum pertinentia servare, atque deferre, Cap. 3 et 4.. - Cap. 5. Lex traditur de immundis arcendis, de primitiis, et oblationibus, et de lege zelotypiae. Cap. 6. de consecratione, et oblationibus Nazaraeorum

rum. Cap. 7. de oblationibus Principum 12. Tribuum in dedicationem Tabernaculi, et Altaris. Cap. 8. de materia, et forma Tabernaculi, aliarumque rerum ad ipsum inservientium, et de consecratione Levitarum. Loquitur 9. de tempore, quo mundi, et quo immundi debeant celebrare Phase; itemque de nube, quae Tabernaculum operiens, per diem in columna nubis, et in nocte ut species ignis, duxit exercitum totis 40. annis. In Cap. 10. moventur castra per ordinem de deserto Sinai ad sonitum duarum tubarum argentearum. In Cap. 11. murmurant Hebraei, et concupiscunt carnes, caepasque Aegypti; quare percutiuntur plaga magna. Hic habes primam hebraici Synedrii 70. Seniorum institutionem ad alleviandum Moysi onus. Maria ob murmurationem contra Moysen fr. suum lepra inficitur, et post septem dies sanitati restituitur, Cap. 12. Mittuntur a Moyse duodecim exploratores terrae Canaan ex singulis Tribubus delecti: sed quia, praeter Caleb, et Josue, infausta referunt, murmur grande excitatur in populo, Cap. 13. Propter quod jurat Dominus, quod omnes numerati a viginti an., et supra, morti traderentur in deserto, nec ullus eorum ingrederetur in terram fertilitatis, exceptis Calebo, et Josue: quod et factum est 40. an. decursu, Cap. 14. Recenset Cap. 15. libamina, et primitias Deo offerenda ab ingressis terram promissionis. Lapidatur homo, qui die sabbati ligna collegerat; item et blasphe-

mus

mus contra Deum. Cap. 16. ponit ob oculos seditionem Core, Dathan, et Abiron an. 2547. qui idcirco, disrupta, terra vivi descendunt in infernum cum papilionibus, et familiis suis. Incendium quoque devorat alios 250. offerentes incensum de filiis Levi; ac tandem igne consumuntur 14700. de populo, altera die murmurantes contra Moysen, et Aaron. Ex 12. virgis a Principibus tribuum acceptis a Moyse sola Aaronis floret virga, quae servari jubetur in Tabernaculo testimonii: quo prodigio Sacerdotium illi a Deo confirmatur, Cap. 17. Cap. 18. et 19. pertractant de oneribus Sacerdotum, et Levitarum, deque primitiis, et oblationibus eisdem offerendis a populo; ac de ritu praeparandae aquae lustralis. Moritur Maria in deserto Isin propè Cades-barne an. 2583. Hoc ipso an. in monte Hor deficit Aaron, in cujus locum sufficitur Eleazar fil. ejus. Murmurante populo, aqua fluit e petra (Cap. 20.). Rex Chananaeus, item Sehon, et Og reges vincuntur ab Israelitis (Cap. 21.) Murmurantem populum igniti serpentes necant; percussi autem sanantur ad intuitum serpentis aenei a Moyse jussu Dei constituti (Cap. 21.). Cap. 22. 23. et 24. historiam habes Balaami arioli a Balac rege Moab vocati, ut malediceret populo Dei. Ob fornicationem Israelitarum cum mulieribus Moab, et Madian, 70. principes populi, Deo jubente, suspenduntur; ac peste consumpti insuper pereunt de plebe 24. millia

lia (Cap. 25.). Iterum censentur Israelitae, qui apti sunt ad bellum, terram promissionis ingressuri (Cap. 26.) Josue substituitur Moysi in ducatu populi (Cap. 27.). Cap. 28. 29. et 30. sunt de sacrificiis quotidianis, de observantia diei septimi, aliarumque solemnitatum, de quibus alibi sermo erit; de votis, ac de juramentis puellarum, et uxorum. Madianitae caeduntur, solis puellis virginibus reservatis (Cap. 31.). Tribubus Ruben, et Gad, ac dimidiae tribui Manasses portio datur trans Jordanem, hoc pacto, ut ipsi quoque armati ad bella procedant cum fratribus suis (Cap. 32.). Describuntur Cap. 33. mansiones 42. Israelitarum per varia loca in deserto. Quomodo dividenda sit terra promissionis inter filios Jacob, forma datur a Deo (Cap. 34.). Et Cap. 35 adsignari jubentur Levitis Urbes 48, et ex his urbes sex refugii Cap. 36., et ult. lex fertur de connubiis filiarum paternam haereditatem adeuntium.

CAPUT VIII.

De Deuteronomio.

DEuteronomium vocatur a Graecis Devteros, hoc est, *secundus*, et Nomos, nempe *lex*; quasi dicat secundam, seu secundariam legem, vel potius integram, et completam legem. Quandoquidem hujuscemodi lex data est primò Moysi in Monte Sinai

nai; ac deinde eadem ipsa denuò repetita est coram filiis eorum, qui post primam promulgationem perierant in deserto. Hebraei suo more librum hunc inscribunt a primis dictionibus *Hellehaddebarim*, idest *haec sunt verba*. Deuteronomium autem appellatur hic liber, quia, ut docet S. Athanasius, repetit, et declarat, iteratque Moyses quidquid jam praedicatum fuerat in Exodo, Levitico, et Numeris; omniumque legitimarum, justificationum, praeceptorumque observantiam populo altius commendat.

Hos quinque jam recensitos libros, qui sub nomine Pentateuchi vulgantur, scribendi Auctor fuit Moyses, ut constat ex Cap. 24. Exodi, et 31. Deuter. Octo vero postremos versus, ubi de morte agitur, et sepultura ejusdem Moysis, alii opinantur a Josue, alii ab Esdra additos fuisse. Habet hic liber Cap. 34 Mortuus est autem magnus Dux, et Legislator Moyses in altissimo monte Abarim, unde prospectus erat in Palaestinam an. 40. ab exitu Aegypti, aetatis suae 120. m. verò 2584. Sepultus est ibidem luctuosis questubus populi, nec amplius, sic Deo volente, locus sepulturae ejus potuit inveniri (*).

CA-

* Ad an. 31. Moysis Fasti Siculi statuunt Hermopolim a Moyse conditam, et bellum adv. Aethiopes summa sapientia, et felicitate pari toto decennio gestum fuisse. Sed nescio, quae fides eisdem adhibenda sit, cum multa alia de ipso Moyse fabu-

bulosè inscribantur apud Josephum, Theodoretum, Eugubinum, aliosque, de quibus prorsus silet Scriptura.

Cecrops vir Aegyptius, Diphyes dictus, quia geminam linguam calleret graecam, et Aegyptiacam, an. 2496 Regni Atheniensis fundamenta jecit, sicut et idololatriae in Graecia. Hic enim primus Jovem ibidem coluit, eique simulacrum, et aram excitavit, ac victimas immolavit, quorum sanguinem regio illa nondum viderat. Sicque Attica eodem tempore et Regi, et Daemoni subdidit se.

An. 2506. natus est Caleb, fortissimus, et prudentissimus Palaestinae explorator, dignus propterea, ut eam videret, et visa possideret.

Jobus post 7. annos probationis duplò ditatus, an. vitae suae 209. m. vero 2539. vivendi finem fecit turba circumseptus nepotum, pronepotum, abnepotum, quibus cum divitiis temporalibus timorem Dei reliquit.

An. 2540. desaevierunt simul ignis, et aqua. Nam Phaetonte regnante aer sic incaluit, ut sylvae, et messes passim incendia conciperent: qua de re fabulantes Poetae ipsum ignitum solem veluti in cursu ducentem effingunt. Regnante vero Deucalione cum Pirrha uxore ejus, cum aquae in Hellade ad Parnassum terras obruissent, multosque mortales necassent misertime, Deucalion ipse accolas Parnassi homines duros, et sylvestres ad certas nuptias, et cultius vivendi genus traduxit. Et en Deucalionis Diluvium, quod in historiis facit Epocham.

Athenis vero circa an. 2546. constitutum est judicium, quo celebrius, ac severius nullum aliud vidit orbis universus. Areopagus dictus est, eo quia in eodem loco Mars judicatus erat. In eo capitales causae dirimebantur tanta integritate, ac severitate, ut vix credi possit. Oratoribus nefas hic erat exordiri, aut perorare, sed nude, et simpliciter causam exponere debebant. Judices, qui adstabant, tantae integritatis erant, ut eo ex omni-

bus Graeciae partibus, et Asiae causae deferrentur, controversiae praesertim graviores. Jus dicebatur de nocte in tenebris, ne quis pauperum sordibus vestium, aut divitum splendore ad commiserationem animos Judicum demulceret. Hic est ille Areopagus, in quem ingressus est Apostolus Paulus, ut habetur Actor. Cap. 17.

Initia Graecae gentis, cujus Auctor fuit Deucalionis filius Hellen fr. Amphictyonis a quo Hellenes nomen traxerunt, referri videntur ad an. 2552. Hellen tres filios suscepit ex Orseide Aeolum, Dorum, et Xuthum. Ab Aeolo Aeoles dicti, quemadmodum Aeolica dialectus; a Doro Dores, et Dorica. A Xutho geniti sunt Achaeus, et Jon; ab hoc vero Jones, et Jonica lingua; ab illo Achaei, in quorum nomen omnes postea Graeci transfusi sunt. Sed de his fuse Geographi; nos autem haec, et alia hujusmodi tantum hujus Operis delibamus in notis propter connexionem, quam habent cum intelligentia Scripturarum.

Regnante autem Athenis Amphictyone Helleni fratre, inventum ab ipso est et constitutum sub an. 2555. Concilium, ex septem Civitatibus, sive populis conflatum, opus quidem egregium, et Graecis facile inter se dissidentibus valde accommodatum, ac etiam necessarium, quo gentis totius negotia firma steterunt, stetissentque diu, nisi privata odia, et amores publicis utilitatibus praevaluissent, septemplici funiculo tandem disrupto.

An. 2574. Troia a Dardano condita est, et ab auctore suo Dardania dicta. Erat hic Jovis, et Electrae filius, regnabatque Coriynthi cum fr. Jasio, sive Jasione. Alii tamen de hac re aliter sentiunt.

CA-

CAPUT IX.

De libro Josue.

Liber *Josue*, qui principatum tenens post mortem Moysis, Dei jussu Israeliticum populum induxit in promissam Cananaeorum terram. Continet hic liber res gestas sub ipso ab an. 2584. usque ad 2600. nempe transitum Jordanis, cujus aquae ad Arcae conspectum divisae sunt: quae enim a dextera erant, scilicet a capite fluminis, steterunt in seipsis sensim versus fontem intumescentes; quae vero a laeva in lacum Asphaltidem decurrentes: si que alveum patentem, et siccum reliquerunt transeunti populo; Urbis Jerico portentosam expugnationem, egregia bella, 31. reges devictos, maxima prodigia, acquisitionem, ac divisionem terrae promissae inter *Tribus* Israelis. Hujus libri Auctor fuit ipsemet Josue, cui fortasse nonnulla addita fuerunt ab Esdra. Habet Cap. 24.

CAPUT X.

De libro Judicum.

Sequitur liber *Judicum*. Hic liber historiam comprehendit rerum gestarum Judaicae Reipb. sub Judicibus suis per an. 317. nempè ab an. m. 2570. ad 2887. Isti Judices hebraicè dicebantur *Sofetim*, unde Punicum vocabulum *Suffetes*, quo Carthaginenses suos Consules vocabant. Habet Cap. 21.

Istiusmodi Judices quasi, vel more Prin-

 cipum

cipum populos regebant, sed nulla regia fulgebant dignitate, neque tributum aliquod excipiebant a populo, sed gratis omnino regebant. Perpetui non erant in Israel; itaut uno deficiente, succederet alter: sed tunc dabantur a Deo, quando Hebraei propter peccata, et idololatriam inimicorum suorum premebantur jugo. Hebraeorum autem servitutes toto illo temporis decursu hae sunt.

1. Servitus Hebraeorum sub Chusano Rasathaim rege Mesopotamiae per an. 8. Ab hac liberantur ab Othoniele. Cap. 3.

2. Servitus sub Eglone Moab per an. 18. Cessat per Aodum, tyranno extincto. Sanger 600. Philistaeos vomere interficit sub Aodo. Ibid.

3. Servitus sub Jabino Cananaeo per an. 19. Ab hac servitute liberantur Hebraei, victo per Deboram, et Baraccum Sisara duce militiae, cujus lacte sopiti tempora tabernaculi clavo Jael trajecit. Cap. 4.

4. Servitus sub Madianitis, cui post an. 7. finem imponit Gedeon. Abimelech Gedeonis f. caesis 70. fratribus, tyrannicè regnum occupat, quod tamen post tres annos turpissima morte perdit. Cap. 6. usque ad 10.

5. Servitus sub Ammonitis per an. 18., a qua solvuntur per Jephte. Cap. 11. et 12.

6. Servitus sub Philisthaeis per an. 40. qui interfectis cum caede magna populi duobus filiis Heli in praelio, Ophni, et Phinees, Arcam quoque Dei captivam duxerunt; a qua

qua tandem servitute liberantur per Samuelem. Praeter hos alii multi fuerunt Judices in Repb. Judaeorum; qui hic per ordinem numerantur post Josue, Othoniel, Aod, Samgar, Debora prophetissa cum Barac, Gedeon, Abimelech, Thola, Jair, Jephte, Abesan, Ahialon, Abdon, Samson, Heli, et Samuel. Sunt tamen plurimi qui e numero Judicum excludunt Samsonem, eumque putant Heli tempestate vires suas exercuisse adv. Philisthaeos, in quorum tandem manibus deveniens per Dalilam, quae circa ipsum fecerint indignè, narrat Cap. 16. ubi etiam ejus mors refertur cum maxima Philistinorum ruina.

Praeter historiam Judicum alia multa in hoc libro narrantur scitu dignissima. In Cap. enim 9. habes crudelissimam caedem, quam fecit Abimelech 70. fratrum suorum, ut sibi imperium tyrannicè usurparet. Cap. 11. votum Jephte de sacrificanda filia, de quo tamen voto variè sentiunt Interpretes. Cap. 12. insurrectionem Ephraimitarum adv. eumdem Jephte, quorum 42. millia caeduntur ad vada Jordanis. Cap. 19 horribile facinus describitur Beniaminitarum in urbe Gabae circa uxorem Levitae de monte Ephraim. Ad quod scelus vindicandum reliquae tribus, inito pacto, pugnant secundò, et tertiò adv. Beniamin, quem fermè penitus delent, praeter 600. viros qui ad montes fugerunt (Cap. 20.). Quomodo autem instaurata fuerit Tribus Beniamin, dicitur Cap. 21. Hujus libri au-

ctor

ctor adhuc ignoratur, licet a plerisque tribuatur Samueli.

CAPUT XI.

De libro Ruth .

LIbrum Judicum excipit libellus *Ruth Moabitidis*, qui nobis eximiae pietatis, et divinae providentiae singulare exhibet exemplum. Ruth historiam tempore Judicum contigisse, indubium est. Nam ipsa Ruth jam vidua, secundis nuptiis juncta est Boozo, ex quibus natus est Obed, qui fuit avus Davidis regis. Hujus libri quis fuerit auctor, non satis constat: alii namque ipsum adscribunt Samueli, alii Ezechiae, et alii Esdrae. Solis quatuor Capitibus totus absolvitur.

CAPUT XII.

De libris Regum .

QUi vero sequuntur 9. 10. 11. 12., hi sunt quatuor libri *Regum*, quos Graeci appellant *Vasileiòn*, hoc est *Regnorum*, ut etiam a quibusdam latinis vocantur, eo quod de toto Judaeorum regno, primum integro, ac postea per Jeroboamum discisso sub regibus Judae, et Israelis pertractent. Hebraei autem duos priores libros vocant *Samuelis*, cujus etiam nomen portant. Insuper Hebraei secundum habent pro primo, et illum vocant *Malachim*, hoc est *Regum*, et quartum loco secundi recipiunt.

Horum igitur librorum primus narrat res gestas sub Judicibus Heli, et Samuele, ac etiam sub rege Saule per an. 101. ab an. scilicet 1. Heli, usque ad mortem Saulis. Alter historiam texit gestorum per an. circiter 40. a morte videlicet Saulis usque ad finem Davidici Regni. Tertius pertractat de regno Salomonis, deque scissione decem tribuum a tribu Judae, et Beniamin sub rege Roboamo, eo quia noluit populum alleviare tributis; ac tandem de gestis quatuor regum Judae, et octo regum Israelis. Hic liber describit tempus an. 123. e quibus 40. priores fuerunt Salomonis. Quartus tandem, et juxta Hebraeos secundus, exhibet historiam gestorum sub 16. Reg. Judae, et 12. Israelis, itemque Prophetarum, qui sub illis floruerunt. Continet spatium an. 307. Horum librorum primus habet Cap. 31., alter Cap. 24. tertius Cap. 22., postremus Cap. 25. In hisce profecto libris infiniti propemodum occurrunt eventus nunc fausti, nunc infelices, egregia facta, portentosa facinora, praesertim idololatriae, crudelissimae caedes, bella quamplurima, modò cum fratribus gesta, modò cum circumsedentibus Nationibus, modò cum Aegyptiis, Syriis, Assiriis, Babyloniisque Regibus, a quibus tandem utrumque Regnum eversum est propter peccata ipsorum. Nobis super his diutius immorari non licet; hos libros attentè percurrat sedulus lector (*).

Pho-

* Phoenix, et Cadmus Agenoris filii Thebis Praefecti Tyrum, et Sidonem obtinuerunt an. 2596. et eo usque Aegyptiacam ditionem extenderunt, rebus nauticis, et maritimis illustres. A Phoenice Phaenicia Syriae pars nomen mutuatur. Regio ista palmis, et dactylis redundat. Cadmus a Phoenice pietatis causa avulsus, ut Europam sororem quaereret, celebre nomen in Graecia consecutus est ob litteras ex Phoenicia eo asportatas.

Amphion, et Zethes, seu Zethus filii Jovis, Cadmo depulso, Thebis regnare caeperunt an. 2637. Corinthus Peloponnesi Civitas, aliter Ephyra vocata an. 2643. aut primum fundata, aut saltem reparata est in isthmo inter duo maria, navalibus classibus situ commodissimo, Aegeum, et Jonium, a Sisypho, ut plerique putant, latrone magno.

An. 2670. regnavit apud *Trojanos* Tros Ericthonii filius, a quo *Troja* dicta est, vel quia reparata, vel quia alio loco statuta est. Peloponnesus vero a Pelope dictus est an. 2700.

Jam regnabat in Italia Janus ab an. 150., antequam venisset in Italiam Aenaeas an. 2722. ad quem cum confugisset Saturnus, a Jove f. expulsus e Creta, et apud eum latere compulsus, a suis latebris partem ejus regni Latium dixit.

An, 2727. in campestribus locis Troados conditum est Ilium a Ilo f. Trois, a quo et nomen accepit. Haec civitas tunc dicta Ilium, nomen nihilominus retinuit Troiae, quia ex Troiae ruinis condita: fuit illa celeberrima inter urbes Asiae dum stetit, famosior cum cecidit.

Siculi in Italia populi an. 2770. in Tricariam transierunt, quam de suo nomine appellarunt Siciliam; quam tamen deinceps Phrygii, Graeci, Carthaginenses, et Romani, alternantibus vicibus subegerunt, ac depopulati sunt, non sine gravissimis ejus fertilitati incommodis.

Tyrus urbs maritima in Phoenicia, ac postea famosissima, creditur statuta a Tyra ex Japheti progenitis an. 2783., a suo nomine sic appellata.

Si

Sidon vero, de qua saepe in Evangelio, licet Josephus eam dicat Tyro parem antiquitate, ipsam tamen Tyro antiquiorem putamus: nam teste Moyse, ipsa habuit auctorem primogenitum Chanaan.

An 2838. regnare caepit in Latio Latinus Fauni f., an. 35. antequam eo advenisset Aeneas. Ex eo deductum Latinorum nomen. Varro etiam ab eo Latium dictum contendit. Ad hunc refertur lingua, qua Romani usi sunt, nempè Latina, qua ipsi postmodum orbem rexerunt.

Tradit Eusebius ex Philisto, Carthaginem a Xoro, et Carchedone viris Phoenicibus conditam fuisse an. m. 2840., et 30. ante Trojae fundationem. Ast de hujus urbis initio variaè, ac varie sentiunt plerique.

Ob raptum Helenae impudicae mulieris a libidinoso raptore Menelao tam saevum illud exarsit bellum inter Graecos, et Trojanos, quo tandem ad excidium Troja deducta est sub an. 2870. In hoc bello ex Graecis caesi sunt octingenta octoginta sex millia, ex Trojanis vero ante captam urbem sexcenta septuaginta sex millia. Quos istorum dicemus insaniores? Victosne, an victores? Hinc Antenoris fuga, qui ob proditionem a suis quoque neglectus, et illusus, patriam reliquit, et cum Henetis in intimo sinus Hadriatici maris recessu Patavium condidit, ac socios suos Paphlagonas pro Henetis Venetos dixit. Hinc Aenaeae transmigratio, ejusque tandem in Italiam appulsus. Ipse namque primo in Thraciam appulit; deinde emenso Aegaeo mari, venit in Jonicum, inde in Siciliam, ubi patrem suum Anchisem morte amisit, an. 2871. Tandem in Latium pergens an. sequenti Laurentum aedificat, et a Latino rege bene susceptus, ejus filiam Laviniam accipit in uxorem. In hujus gratiam Lavinium condit, quasi futuram uxoris dotem. Interfecto autem in bello adv. Turnum Rutulorum Regem Latino, Aenaeas regnat, et post multa bella fortiter, sapienterque gesta, et ipse tandem dimicans adv. Maxentium Tyrrenum Re-

Regem interfectus est ad Numicum fluvium, cujus in regno succedit Ascanius filius an. 2877. Ab hoc Ascanio ortum habuit urbs Alba in Latio an. 3903. Praeneste vero a Telegono Ulissis f. et Tusculum, nunc dirutum, condita sunt. Quod nunc Frascatum dicitur, in valle opposita ex Tusculi ruinis postea excitatum est.

Nysa Urbs prope Indum fluvium a Bacco condita est an. 2700. Cyzicus in Hellesponto fundata est Sic et Miletus, postea Coloniarum multitudine celebris, in ore Maris Aegaei 2779. *

CAPUT XIII.

De Libris Paralipomenon.

Libros, qui in Latinis, et Graecis Bibliis sequuntur, Graeci appellant *Paralipomenon*, hoc est *praetermissorum*, quatenus nonnulla in praecedentibus Libris Historicis aut omissa, aut brevius dicta repetuntur, et explicantur. Hebraei autem eos appellant *dibre haiamin*, idest *verba dierum* (intellige *annorum*, seu *temporum*). Sunt enim hi libri Chronicon, nempe Ephemèrides, seu gesta diurna. Paralipomenon duo sunt libri divisi apud Latinos, et Graecos; unus autem tantum apud Hebraeos. Communis opinio horum librorum Auctorem habet Esdram. In horum priore propagatio gentis Israeliticae brevi calamo recensetur ab Adamo usque ad reditum a capt. Babylonica. Deinde repetita a Davide historia, ejus regnum accuratius describitur ad Salomonis usque unctionem. In altero vero texitur historia per

an.

an. 479. usque ad finitam captivitatem, quando Rex Cyrus fecit Hebraeis redeundi potestatem. Et quoniam in captivitate tribus, et veteres familiae Israelitarum non parum confusae fuerunt: hinc auctor juxta Hebraeorum morem has genealogias magno studio indagavit, et litteris consignavit; ut posthac gentis Israeliticae connubia secundum legis praescriptum celebrarentur, et tribus in certis familiis sese continerent. Maximae profecto utilitatis sunt hi duo libri, praesertim ad Salvatoris nostri Jesu Christi Genealogiam cognoscendam.

CAPUT XIV.

De Libris Esdrae.

PAralipomenon libros excipiunt libri duo, qui Esdrae dicuntur, licet primus tantummodo ab Esdra; alter, qui Esdrae secundus dicitur, scriptus fuerit ab Nehemia. Primus continet historiam Hebraeorum, postquam in patriam a captiv. Babylonica reversi sunt; ab anno scilicet primo Cyri Persarum regis usque ad an. 20. regni Artaxersis Longimani, spatio an. circiter 82., qui fuit m. 3106. Alter Nehemiae, qui et Esdrae secundus, historiam continet an. circiter 32. Habet primus Cap. 10., alter vero Cap. 13. In his libris agitur de reaedificatione Hierusalem, murorum ejus, et templi, de sacrificiis restitutis, de mosaicae legis

gis observantia, de labentis Dei cultus renovationem, deque correctione reducis populi, aliisque similibus; ac tandem de multis ingruentibus difficultatibus, quas Hebraei a circumstantibus adversis Nationibus passi sunt in excitandis Hierusalem muris, Temploque Dei aedificando.

Ut hi libri probe intelligantur, sciendum est, non omnes simul Hebraeos una vice, sed pluribus de Babylone rediisse in patriam. Enimvero an. primo Cyri reversi sunt in Judaeam sub principibus Zorobabel, Josue aliisque quadringenta duo millia trecenta sexaginta ex diversis familiis, quae Cap. 2. lib. I. recensentur; exceptis 7337. servis, et ancillis eorum. Equi vero 736., muli 245., cameli 435., asini 6720., vasa aurea, et argentea, quae asportaverat de Hierusalem Nabuchodonosor, et quae generosè reddit Cyrus 5400. Altera vice, nempe an. 7. regni Artaxersis descendit Esdras vir doctissimus, et scriba velox, de Babylone in Hierusalem cum plurima Sacerdotum, Levitarum, Cantorum, et populi multitudine, amplissimo regis munitus Diplomate, cujus exemplar refertur per extensum Cap. 7. Tertia tandem vice venit Nehemias an 20. Artaxersis cum epistolis regis ad Sannaballat, et Thobiam ministros Regis trans Flumen, hoc est Jordanem. Hic Nehemias fretus potentia regis muros excitavit Hierusalem, eamque, quae prius deserta erat, habitatoribus, ex omnibus civitatibus desumptis, reple-

plevit; et dignus Esdrae successor Dei populum rexit in pace.

CAPUT XV.

De Libris Tobiae, Judith, Esther, et Job.

Post generalem totius gentis Israeliticae historiam acta narrantur quorundam virorum, et mulierum in libris, qui inter sacros, et inspiratos connumerantur: hi sunt libri Tobiae, Judith, Esther, et Jobi. Liber itaque Tobiae praeclara documenta nobis exhibet eximiae pietatis, singularis patientiae, Deique in servos suos providentiae admirabilis. Fuit Tobias unus ex plerisque Israelitarum captivis, quos Salmanasar Rex Assyriorum adduxit in Ninivem. Et hic Liber narrat felices, et infaustos eventus, qui huic sanctissimo viro in servitute acciderunt. Habet Cap. 14.

In libro Judith praeclarum facinus hujus generosae foeminae, quae Holophernem Ducem Assyriorum sua manu interficiens, Judaeam totam liberavit, celebratur. Circa tempus, quo id contigerit, non conveniunt Eruditi: alii siquidem ante, alii post Judaeos in captivitatem adductos, gesta hujusmodi evenisse putant. Habet Cap. 16.

Estheris liber narrat quae Israelitis captivis in Perside acciderunt propter invidiosum, malignumque conatum superbissimi Amani unius ex primariis Regis ministris, qui

cal-

callide Regem Darium impulit, ut decretum promulgaret universae gentis hebraeorum morti tradendae; et quae pro liberatione populi sui Hebraea Esther, jam facta Assueri uxor Regina, prudenter, ac laboriose fecerit, machinatam necem in persecutores hebraeorum retorquens. Habet cap. 16. Quis autem fuerit iste Assuerus maritus Estheris, scilicet, an Darius Persa, aut Darius Medus, an alius, incertum est. Verosimilius creditur fuisse Darius Histaspis.

Sequitur liber Job, quem non recipiunt Hebraei, immò et ipsum Jobum numquam in rerum natura fuisse dicunt; et quae de illo habet Scriptura, non ad historiam referunt, sed ad parabolam pro patientiae documento inflectunt. Quo tempore vixerit Job, cujus nos historiam nullatenus possumus respuere, dubia res est. Nos autem in Notis ad C. 4. probabiliter natum diximus an. m. 2330. Hoc unum certum est, eum non fuisse sub lege, neque de gente Israelitica; fuit enim origine Idumaeus. Terra Hus nativitatis suae fuit dubio procul non Aramaea, sive Syria, neque regio Horaeorum ab Jdumaeis aliquando possessa, sed Utz, unde Ussitae, et Ausitae, in Arabia deserta. In hujus historia videre est, hominem justum, et adhuc innocentem incredibilia mala fortunae, et corporis perferentem patientia pari, ex ditissimo pauperrimum, ex sublimi humilem, ex jucundo infelicissimum, sic Deo permittente ad patientiae

tiae documentum; ac post 7. annos probationis duplici fortuna, ac felicitate donatum. Habet Cap. 42.

Ad intelligendam vero doctissimam, ac longissimam disputationem magna utrinque sapientia, nec minori aestu animorum contextam, inter Jobum, et amicos ejus · animadvertat prudens lector, quod isti sentiebant, Deum nullum hominum affligere nisi propter peccata; ideoque videntes Jobum tam graviter percussum, ipsum magnum fuisse peccatorem probare conabantur: e contra Job innocentiam suam acriter defendebat, ajebatque Omnipotentem, qui justorum, malorumque Dominus est, in eum irasci alia de causa. Litem tandem dirimit Deus ipse, qui patientiae servi sui Jobi magnam praeparat retributionem.

CAPUT XVI.

De Libris Sapientialibus.

HIstoricos libros excipiunt libri, qui ad mores excolendos spectant: idcirco Sapientiales dicti. Primò sese offert liber Psalmorum, historicis proximior, quia etiam in illis gesta Dei narrantur, estque quasi Breviarium rerum, quae hactenus fieri contigerat. Hebraei hunc librum dicunt *Sepher thehillem*; Graeci vero ipsum appellant *Psalmi*, *et Psaltirion* a Psallo, *levi motu percutio*. *Psaltirion* namque instrumentum est, quo psallitur, cu-

cujus percussi sonus propriè *Psalmus* dicebatur. Unicus est Psalmorum liber apud Latinos; at in quinque partes dissectus extat apud Hebraeos, quarum unaquaeque hac clausula terminatur, *fiat*, *fiat*. Psalmi, qui omnes dicuntur Davidis, sunt 150. non quia omnium David sit Auctor, sed quia veterum Vatum multos ipse collegerit. Multos namque Moyses ipse decantavit, et posterioribus temporibus Esdras nonnullos, et alios alii addiderunt. Quoti autem, et quales sint Davidis, certò definiri non potest.

Sequitur liber Graecè *Paroemiae*, idest *Proverbia* nuncupatus, hebraicè vero *Misle*; quod propriè significat parabolam, seu comparationem, vel etiam egregium, et praecipuum dictum. Proverbia igitur nil aliud sunt, nisi breves, acutaeque sententiae, ac similitudines, quae rem propositam explicant, et altius menti audientium infigunt. Auctor libri hujus est Salomon, qui sapientum verba profert, plurima addens de suo. Habet Cap. 31.

Huic proximè accedit *Ecclesiastes*, dictus ab Hebraeis *Coheleth*, a verbo *Cahal*, quod est, *Convocavit*; eo quod caetum, seu Ecclesiam advocat. Ecclesiastes est nomen graecum ejusdem significationis *Ecclisìa*, *concio*, *et concionis locus*. Salomon, sive adhuc justus, aut poenitens, ille est qui in hocce libro loquitur de rerum mundanarum vanitate, ut eas in contemptum adducat, et tumentes mortalium animos premat. Habet Cap. 12.

Hunc excipit *Canticum Canticorum*, vocatum ab Hebraeis *Sir Hasirim*, quod idipsum sonat; quasi dicas, excellentissimum carmen, seu nobilissimum Canticorum. Putatur esse nuptiale carmen, castos, jucundosque exprimens complexus animorum; vel potius totum mysticum est, argumentum repraesentans incomprehensibilis amoris Christi Jesu erga Ecclesiam sponsam suam, ac vicissim sponsae erga Christum sponsum. Ad quod referri potest id, quod ait Apostolus Corint. C. 11. v. 2. *Aemulor enim vos Dei aemulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Ad hoc spiritualis amoris carmen legendum, frustra accedit, qui spiritualiter non amat; frigidum namque pectus ignitum eloquium capere non potest, nisi ad sui detrimentum. Eapropter canticum istud, sicut et principia Geneseos Judaeis legere non permittebatur ante annum trigesimum, ut nos docet Hieronymus. Est autem liber *Dramaticus*, seu species quaedam *Dramatis*, in quo inductae personae loquuntur, et agunt. Videtur compositus a Salomone, post constructam in saltu Libani domum aestivam: *Veni de Libano, veni coronaberis*. Habet Cap. 8.

Proximè huic locum tenet liber *Sapientiae*, ita dictus quod de Sapientia tam Increata, quam creata unicè tractet. Vulgo creditur Auctor hujus fuisse Philo Alexandrinus, qui vixit sub Claudio, et Cajo Imperatoribus, licet plerique Scriptorem Sapien-

tiae antiquiorem faciant Philone Alexandrino. Apud Graecos inscribitur *Sapientia Salomonis*, non quia revera ipse fuerit Auctor, sed propter sententiarum similitudinem, quae in ipso reperiuntur. Habet Cap. 19.

Post hunc venit liber *Ecclesiasticus* dictus, eo quia, ut Augustino arridet, in Ecclesia legeretur. Alii tamen putant sic a latinis vocari, ad distinctionem libri Salomonis, qui *Ecclesiastes* appellatur; complectitur enim simillima morum axiomata, atque praecepta. Inscribitur a Graecis Sapientia Jesu filii Sirach, a quo primum hebraicè scriptus est; ac postmodum ab alio Jesu ejus consanguineo in Graecum versus: quo vero tempore indicat Prologus: *Ego autem*, inquit, *anno* 38. *Regis Evergetae, postquam perveni in Aegyptum, et cum multum temporis ibi fuissem, inveni ibi libros relictos, non parvae, et contemnendae doctrinae, quos mihi visum est interpretari*. Habet Cap. 51.

CAPUT XVI.

De Libris Prophetalibus.

Licet plurimi fuerint Prophetae in populo antiquo: sexdecim tamen recensentur solummodo, majores quatuor, minores duodecim, eo quod hi omnes scripta reliquerint. Sunt autem Prophetae majores Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel; cum Jeremia conjungitur Baruch, cujus hic erat scriba. Minores

nores vero Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias. Hi autem dicuntur minores, quia pauciora scripserunt.

Isajas prophetavit in diebus Oziae, Joathan, Acaz, et Ezechiae regum Judae. Habet Cap. 66. Jeremias prophetavit sub regibus Judae Ozia Joachim, et Sedecia usque ad captivitatem Babylonicam; nempe ab an. 13. Oziae usque ad 11. Sedeciae. Post adductum captivum populum cum Rege, plorans, et ejulans librum composuit *Threnorum*, hoc est *Lamentationum* super ruinis filiae Sion. Prophetia Jeremiae habet Cap. 52. Threni Cap. 5. Baruch Cap. 6. Ezechiel, captivus adductus cum Joachim rege in Babylonem, in captivitate prophetavit concaptivis suis. Habet Cap. 58. Daniel, captivus quoque cum Ezechiele, ab an. secundo regni Nabuchodonosoris in captivitate multa prophetavit, multaque gessit egregie usque ad excidium Babylonis, et ultra. Habet Cap. 14.

Osee, Joel, Michaeas, Sophonias iisdem temporibus et sub iisdem regibus prophetarunt; Amos super Israel in diebus Jeroboam II. f. Oziae. Abdias prophetavit adversum Edom, idest adv. filios Esau. Jonas in Gentes, hoc est in Ninive. Vixit temporibus Jeroboam regis Israel; et hunc Jonam Hebraei faciunt filium viduae Sareptanae, quem Elias suscitavit a mortuis. Nahum prophe-

tavit adv. Assyrios, qui captivum duxerunt Israelem in suas regiones. Quo tempore prophetarit Abachuc, non satis constat. Sed prophetasse videtur extremis Regum Judae temporibus. Aggaeus prophetavit in captivitate ab an. secundo Darii reg. Persarum. Item eodem tempore prophetavit Zacharias. Eodem quoque tempore, vel paulo post prophetasse videtur super Israelem Malachias.

CAPUT XVII.

De Libris Machabaeorum.

MAthathias, Judaeo Diis thus adolente interfecto an. 3888.; verus Dei cultor, atque legis sanctissimae zelotes, animis filiorum suorum, caeterorumque spiritum Dei habentium vehementer excitatis, erigit se in Ducem, et Pontificem populi, sicque Graecorum Tyrannorum jugum, a quo a centum, et amplius annis saeve premebatur Israelitica gens, excutere feliciter aggreditur. Et en historiae Machabaeorum initium. Machabaei isti ex Aronis sacerdotali Tribu originem trahebant. Dicebantur autem Machabaei, quia in vexillis militaribus deferebant litteras, a quibus incipiunt nomina hujus sententiae: *Quis sicut tu Deus inter deos?* Duos tantum in Ecclesiasticum canonem recipit Ecclesia Machabaeorum libros. Primus continet bella Domini exercituum, quae adversus impias gentes, sub regibus

gibus Antiocho Epiphane, et Eupatore, Demetrio Sotere, Alexandro Epimane, Demetrio Nicanore, et Antiocho Sidete, Heroes Assamonaei, Mathathias, scilicet, et post ipsum Judas Machabaeus, Jonathan, et Simon, unus post alium gloriosè, fortiterque gesserunt. Habet Cap. 16.

Liber alter Machabaeorum, secundus dicitur, non quia historiam ut in primo usque ad Joannis Hircani tempora perductam prosequatur, ut rei ratio fieri postulabat; sed quia quaedam Machabaeos ipsos concernentià complectatur, et suppleat. Hic desinit Testamentum vetus, quia appropinquans Messiae adventus, jam Sinagoga mori incipiebat.

Omnia autem, quae in populo Judaico contingebant, Christum venturum respiciebant, Christum sonabant; et omne vetus Testamentum pro venturi Messiae vaticinio potest haberi: sicque omnes libri V. T. sunt vaticinia quaedam, et Prophetiae Christum, ejusque futuram Ecclesiam respicientia. Quare Apostolus (1. Cor. C. 10. v. 11.): *Haec autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt*. Haec sedulo advertat prudens Lector, ut veram intelligentiam veterum Scripturarum consequi valeat.

AP-

APPENDIX HISTORICO-CHRONOLOGICA.

QUatuor fuerunt in mundo Monarchiae, seu Imperia gloriosissima, ac firmissima. Primum auri; Secundum argenti; Tertium aeris; Quartum ferri simul et cretae; mysticè ostensa in specie statuae pergrandis Regi Nabuchodonosori in Babylone somnianti, et clarè explicata a Daniele Propheta Cap. 2. Primum Imperium auri fuit Assyrum, quod postmodum victoris auctum, dictum est Assyro-Caldaeum. Duravit an. 1635. nempe ab an. m. 1879. usque ad an. 3514. Habuit saltem 40. Reges, nunc in Babylone, nunc in Ninive degentes, qui solis nominibus noti sunt. Etenim a Ninia regni administratione Praefectis demandata, in caetu mulierum inter delicias, et voluptates omnes consenuerunt.

Imperium argenti fuit illud Persarum; forte quidem, et gloriosum, sed Assyro longè brevius. Etenim, Balthassare Rege Babyloniorum interfecto, et Babylone capta a Persis, et Medis sub Cyro, et Dario Medo an. 3514, defecit tandem an. 3730., victo per Alexandrum Macedonem Dario ultimo Persarum Rege. Totum ergo durationis tempus an. 216. Ejus reges fuerunt, qui sequuntur. 1. Cyrus, qui, mortuo Dario, solus regnat super Medos, Persas, et Babylonios ab an. 3516. ad 3524. 2. Cambyses ad 3532. 3. Smerdis Magus, reg. an. 7. 4. Darius Hystaspis f. ad 3566. 5. Xerses 1. ad 3589. 6. Ar-

Artaxerses Longimanus ad 3629. Iste creditur Estheris maritus. 7. Xerses 11. reg. an. 2. 8. Sogdianus reg. an. 7. 9. Darius Nothus, sive Ochus ad 3649 10. Artaxerses Mnemnon ad 3689. Inter hunc, et fr. ejus minorem nomine Cyrum bellum infeliciter gestum est ope Graecorum. 11. Artaxerses Ochus ad 3714. 12. Arses, seu Arsamus ad 3718. 13. Darius Arsami filius ad 3724. Hoc ipso anno Darii a facie Alexandri fugiente a Besso Dari amico graviter vulnerato in itinere, eum in curru pellito jam animam agentem reliquit. Quem paulo post inveniens Alexander, super eum doluit vehementer, et lacrymatus est, eumque tandem regiis honoribus sepeliendum curavit. Ex tunc dictus Alexander Persarum Imperator.

Postremo Alexander post tot victorias, post tot reges devictos, veluti orbis totius Imperator, quo tamen numquam fruitus est, inter bella, et clades aet. suae an. 32., satis miserrimè vitam simul, et Imperium perdidit, an. 3730. Hinc post varias bellorum vices, post Philippum Aridaeum Alexandri fratrem a Philippo genitum ex Phylinna concubina, quem Alexandri successorem Macedones fieri curaverant, in tria praecipua regna Graecorum Imperium dividitur. Ptolomeo Lagi cessit Aegyptus; exinde Reges Aegypti propter dignitatis honorem Ptolomei dicti; Seleuco Syria, et Babylonia: Antigono Pontus, et A ia: interim Aridaeo, et Antipatro Macedoniam, et Graeciam servantibus,

caeso

caeso Perdicca. Et en Monarchiae aeris, seu regni Graecorum initia.

Igitur post mortem Alexandri regnant in Macedonia 1. Aridaeus, 2. Cassander, 3. Philippus III., 3. Antipater; et Alexander III. Cassandri ff. 4. Demetrius Poliocretes, 5. Phyrrus Epirot. Rex, Lysimachus Thraciae Rex, 6 Ptolomaeus Ceraunus, 7. Meleager Cerauni fr. 8. Antipater, 9. Sosthenes, 10. Antigonus Gonatas, 11. Demetrius f. 12. Antigonus cognomento Tutor, 13. Philippus IV. Demetrii f., 14. Perses, seu Perseus, victus a Romanis.

In Aegypto reg. 1. Ptolemaeus Lagi ab an. 3731., 2. Ptolomaeus Philadelphus, qui Farum Alexand. aedificavit, 3. Ptolomaeus Evergetes, 4. Ptol. Philopator, 5. Ptol. Epiphanes, 6. Ptol. Philometor, 7. Ptol. Phycon, seu Evergetes II.; 8. Ptol. Lathurus, sive Lathyrus, 9. Ptol. Alexander fr., iterum Ptol. Lathurus, 10. Ptol. Alexander II. 11. Ptol. Alexander III.; 12. Ptol. Auletes, 13. Ptol. Antonius, 14. Cleopatra, quae victa cum Antonio Ptolomaeorum regnum perdidit.

In Syria 1. Seleucus Nichanor, 2. Antiochus Soter, 3. Antiochus II. Deus, 4. Seleucus II. Callinius, 5. Seleucus III. Ceraunus, 6. Antiochus II. Magnus, 7. Seleucus IV. Philopater, 8. Antiochus IV. Epiphanes, 9. Demetrius Soter, 10. Alexander Bala, 11. Demetrius Nicator, 12. Antiochus Balae f. 13. Tryphon Tyrannus, 14. Antiochus Sidetes; iterum Demetrius Nicator, 15. Antiochus Grypus, 16. Antiochus Cyzicenus. Seleucus IV. An-

tiochus X., Eusebes, Philippus, Demetrius Enceres, Tigranes, Antiochus Asiaticus, reguli potius fuerunt, quam Reges in Syria, quae a Pompejo tandem redacta est in Provinciam an. 3991.

Seleuchus Nicharor regni Seleucidarum, seu Antiochorum primus ditionis suae non contentus angustiis, bello petit Antigonum Asiae regem, eoque devicto, Asiae regnum sibi conjungit; quare Syriae Reges saepe in libris Machabaeorum Asiae reges nuncupantur. Hic profecto vir magni consilii 25 Civitates aedificavit, Seleuciam, ad quam missi sunt a Spiritu Sancto Paulus, et Barnabas, a suo nomine sic dictam, Antiochiam, quam regni sui sedem constituit, eamque hoc nomine insignitam voluit ab Antiocho patre suo, Apameam, Laodiceam, Stratonicum ec., nomen matris, et uxorum singulis attribuens. Sub protectione regum Seleucidarum satis quieti, et liberi degebant Hebraei; interim populum regentibus in Jerusalem summo Sacerdote cum Synedrio 70., imo et reges ipsi ea, quae ad usum sacrificiorum pertinebant, gratanter subministrabant. Regnante autem Seleuco Philopatore, sic dicto a nimio amore erga patrem suum, 7. Asiae Rege, et in Jerusalem servante populum in pace summo Pontifice Onia, viro sanctissimo: tunc accidit, quod narrat Cap. 3. lib 2. Machabaeorum; nempè quod impius Simon Templi Praefectus, seu Aeconomus ad regem retulerit, immensas opes, ac thesauros in Templo Dei reperiri. Quam ob

relationem Seleucus misit in Jerusalem Heliodorum, qui in ipso Templi ingressu ab Angelis flagellatus in mortem, sed vita donatus Oniae precibus, rediit Antiochiam. Et en incredibilium malorum, quae Hebraei sub Antiochis passi sunt, initium, contra Oniam, et populum iniqua molientibus ipso Simone, Jasone, Menelao, Lysimacho scelestis hominibus, qui Onia dejecto, ac tandem confosso, vicissim ab Antiocho Epiphane Philopatoris successore, unus alterum supplantantes, emerunt summum Pontificatum, Hebraeosque ad ritus Gentium transire coegerunt. Ipse postmodum Antiochus crudeliter saeviens in Hebraeos, forti exercitu Jerusalem expugnat, ac tribus diebus 80. millibus Hebraeorum interfectis, nec pueris parcens, nec mulieribus, 40. millibus vili pretio venditis, ac totidem in servitutem adductis, Templum Dei omnibus thesauris expoliat, in eoque, ut solum Deum colendum, collocat Herculis Hospitalis simulacrum, omnique demum crudelitate Dei populum opprimit, omnem veri Dei religionem eliminans circa an 3891. Haec breviter adnotare licuit, ut Machabaeorum historia probè intelligatur.

Adveniente tandem fine turbidae, ac sceleribus plenae Monarchiae Graecorum post an. 293 ortum habet Monarchia ferri, nempe Romanorum, cujus initium ponimus, quando Octavianus Caesar Augustus post Attiacam victoriam solus imperat an. 4024. licet jam ubique terrarum obtinerent Romani, et

jam Hispaniae, Gallia, Germania, Asia, Syria, Phaenicia, Palaestina, Carthago, Affrica ipsa Romanorum obedirent Imperio. Quandoquidem sub Numitore ultimo Latinorum Rege per Remum, et Romulum condita Roma an. 3301., jam inde Romanorum nomen celebrius in dies fieri caepit. Nam Romulus, Remo fr. interfecto, praeter colonos, quibus Urbem habitandam divisit, asylum aperuit quibusque criminosis, qui alibi tuti esse non poterant, quasi ex tunc Romani se arbitros esse praeluderent orbis terrarum. Romulus tamen multa gessit sapienter, et optimis legibus, et institutis ex malis bonos facere aggressus est. Regnarunt post ipsum successivè Numa Pompilius, Tullius Hostilius, Ancus Martius, L. Tarquinius Priscus, Servilius Tullus, Tarquinius Superbus, qui omnes Romanae ditionis confinia ab antiquis Italorum regibus longe protulerunt. Tandem Romani Tarquinii superbi crudelitatis pertaesi, ejusque filiorum intemperantiae, Sexti praecipue, qui Lucretiam nobilem Matronam violenter oppressit, ipsum e throno depulerunt, et Regnum in Rempub versum est, in eoque statu permansit usque ad Triumviratum, quando scilicet C. Octavius, M. Antonius, M. Lepidus una simul secretò conjurantes, abrepta tyrannide, omnem Romanorum ditionem in tres partes sibi ipsis diviserunt, an. 409. Supplantatis autem per Octavium Lepido, et Antonio, ipse solus imperat an. 4024. Huic anno finem attribuo

Me-

Monarchiae Graecorum, quia etsi ab an. 3858. Quintius Romanus jus dixerit in Graecia, ejusque omnes Civitates liberas esse jusserit, ac tandem Romani, post eversam Carthaginem, victos Achaeos, Corinthum deletam, Graeciam in Provinciam redegerint an. 3998. adhuc tamen remanebat subjuganda Aegyptus, unum ex Imperio Graecorum regnum, quod nonnisi an praed. 4024. venit in potestatem Romanorum. Quod si quis voluerit, tunc desiisse Monarchiam Graecorum, cum Seleucidarum regum desiit Imperium an. 3991., ita esto; et tunc durationis tempus erit an. 260.

SERIES HEBRAEORUM PONTIFICUM.

Ab an. 2544. ad 2600.
Aaron fr. Moysis
Eleazarus fi. Aaronis.
Ab an. 2600. ad 2700.
Phinees.
Abisue f. Phin.
Ab an. 2700. ad 2800.
Boccius
Oza,
Zarajas.
Ab an. 2800. ad 2900.
Nerajoth.
Amarias I. postremus e posteris Eleazaris.
Heli I. ex posteris Ithamaris secundo loco geniti ab Aarone. Sub hoc Pontifice Arca Dei capta est a Philistaeis, et duo ejus ff. Ophni, et Phinees interfecti in bello.
Ab an. 2900. ad 3023.
Achiteb I.
Achimelech.
Hic P. interfectus est cum aliis 85. Sacerdotibus ab impio Saule, eo quod recepisset David fugientem a facie ejus.
Abiathar.

Hic

Hic a Sacerdotio amovetur a Salomone, quia conjuraverat cum Adonia.
Ab an. 3023. ad 3100.
Sadoc I. iterum e posteris Eleazari.
Achimas.
Azarias I.
Ab an. 3100. ad 3200.
Joanan.
Azarias II.
Amarias II.
Joiadas I.
Hic a persecutione Athaliae puerulum Joas servavit in Templo, et septennem Regem constituit, Athalia interfecta. Qui postea beneficio ingratus occidit Zachariam Sacerdotem f. ejus inter Templum, et Altare. 2. Paralip. Cap. 24.
Ab an. 3200. ad 3300.
Sedecias
Azarias III.
Joatham.
Achitob II.
Ab an. 3300. ad 3400.
Achitob III.
Merajoth
Sadoc II.
Salomon.
Ab an. 3400. ad 3516.
Helcias
Azarias IV.
Sarajas
Josedecus.
Ab an. 3516. ad 3600.
Joacimus D. et P.
Esiasib D. et P.
Postea tantum P., veniente Esdra.
Ab an. 3600. ad 3700.
Jojadas D. et P. II.
Jonathas D. et P.
Jaddus D. et P.
Sub hoc P. venit Jerusalem Alexander M., qui Pontificem sacris indutum pie veneratus, cum ipso ingressus est Templum Dei, ibique donaria reliquit.
Ab an. 3700. ad 3800.
Onias I. D. et P.
Simon I. D. et P.
Eleazar D. et P.
Manasses D. et P.
Ab an. 3800. ad 3900.
O-

Onias II D. et P.
Simon II. D. et P.
Onias III. D. et P.
Post hunc Pseudopontif.
Jason fr. Oniae, Menelaus, Lysimacus, Alcimus.
Surgunt deinde Machabaei, dicti Assidaei, hoc est Sancti, mox corrupta voce, Assamonaei. Ex his
Mathathias. D. et P.
Judas f. D. et P.
Jonathas D. et P.
Ab an. 3900. ad 4000.
Simon D. et P.
Joan. Hircan D. et P.

REGES ITERUM.

Aristobolus R. et P.
Alexan. Jann. R. et P.
Hyrcanus R. et P.
Aristobolus II R. et P. Pulso fr., mox dejectus a Pompejo
Hyrcanus iterum usque ad 4024.

Hic cum per an. plures cum Antipatro Herodis I. patre, et eodem Herode Judaeae Tetrarcha regnum administrasset, hujus tandem jussu interemptus est. Igitur Antipater Herodis Pater Judaeae Procurator instituitur a Caesare an. 4007. Herodes vero I. Assalonita Judaeae Tetrarcha an. 4012., dein Rex praenunciatus regnare incipit an. 4017. ad 4054. Hoc Principe regnante in Judaea, et Romae Caesare Augusto, natus tandem est ab aevo promissus humani generis Reparator Christus Jesus, an. scil. reg. Herodis 33, et Caesaris Augusti 39. Hic est lapis ille, qui de excelso monte abscissus sine manibus pergrandem Regnorum statuam percutit in pedibus ferreis simul, atque fictilibus, eamque dejicit in terram: *Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, aes, argentum,*

tum, et aurum, et redacta quasi in favillam aestivae areae, quae rapta sunt a vento, nullusque locus inventus est eis: Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus (*Daniel. Cap.* 2.). Nempe lapis iste Christus Jesus factus est mons magnus, quia post tot saeculorum decursus, post tot regnorum superbiam, post tot bellorum tumultus, solus, Rex regum regnare veniebat in terram, sibique firmare regnum aeternum, sub cujus ditione omnia confoederarentur Imperia. Heu! heu! quam velociter transit tempus irremeabile, nec advertit insipiens quid omittat! Jam vidimus in prospectu, et quasi sub oculis per amplius 40. saecula mundum universum ab ipsa sua nativitate; et dum conspeximus, jam transiit, jam non est. Heu! quam fluxibilia sunt, et vana creata omnia, ut merito dicere valeamus cum divino Ecclesiaste: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*.

CAPUT XVIII.

De Libris novi Testamenti.

CONstat jam ex Cap. 2., 27. esse libros Canonicos novi Testamenti, 4. nempe Evangelia, Actus Apostolorum, ipsorumque nonnullorum Epistolas, ac tandem Apocalypsim Joannis. In iis non calamo immorandum scribendo, sed fixo oculo legendo, ac mente devota meditando, inhaerendum est; quo-

quonian in his universa Christianorum Theologia, totaque moralis doctrina continetur, in his quid credendum, quid sperandum, quid faciendum abunde reperitur.

Evangelium sonat bonum nuntium; nempe illud bonum nuntium, quod a tot saeculis expectabatur de adventu Messiae in terram. Licet autem quatuor sint sacri Evangelistae, Matthaeus, Marcus, Lucas, Joannes: unum tamen est Evangelium Christi. Matthaeo tribuitur facies hominis propter genealogiam; incipit enim scribere a Genealogia Christi. Marco facies Leonis propter vocem clamantis in deserto; exorditur namque Evangelium suum a praedicatione Joannis Baptistae, qui de se ipso fassus est: *Ego vox clamantis in deserto: parate viam Domini*. Lucae facies vituli propter sacerdotium; incipit namque historiam a Sacerdotio Zachariae. Postremo Joanni facies aquilae propter volatum, quia veluti aquila caeteris altius volavit, incipiendo ab aeterna Christi generatione, dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Ita Hieronymus contra Jovinianum). Simbola hujusmodi, quibus distinguuntur Evangelistae, jam praemonstrata fuerant Ezechieli Prophetae (Cap. 1.) in celebri illa visione currus, quem per aerem admirabili virium intelligentia trahebant quatuor animalia, homo, leo, bos, et aquila; itaut unicuique ipsorum inesset facies hominis, facies leonis, facies bovis, et facies aquilae,

lae, sicut et pennis aquilae omnia simul jungebantur (Greg. Papa in Ezech hom. 3. l. 1.). Quo significabatur Evangelistarum veritatis, atque doctrinae mira consonantia.

CAPUT XIX.

De qualitatibus in subjecto requisitis pro assequenda Sacrarum Scripturarum intelligentia.

QUalitates, quibus praeditum vellem tyronem meum adolescentulum, ad haec capita revocantur. 1. Acumen ingenii; ingenii, inquam, non praecipitis sed quieti, non segnis sed solertis, non impatientis sed docibilis, non fluctuantis sed firmi, non curiosi, non superbi, sed humilis, atque devoti. Ingenium namque durum, superbum, elatum, curiosum, utcumque acre, ac perspicax, ad verum spiritum, ac sensum Scripturarum Sacrarum capessendum, magis obstat, quam prosit, et inde sumit errorem, unde veritatem excerpere tantum debuerat. 2. Vocatio, seu honesta quaedam naturalis inclinatio, et amor erga hujuscemodi studia, de quibus sermo. Id enim, quod horrescit animus, nec amatur, assequi numquam datum est. 3. Labor indefessus, et copia Librorum. Labor enim hic longus est, et sine labore nihil acquiritur: hinc tritum illud proverbium. *Qui parum studet, nihil discit; qui multum, parum*, quia in longo labore vita brevis. Eapropter optarem valde, simulque

 eni-

enixe consulerem tyronem meum, ut unaquaque die unum saltem Caput Scripturarum (ab initio incipiendo usque in finem Bibliae, ac iterum redeundo ad caput) meditando perlegeret; et quod legit, cum dictis Patrum, sacrorum interpretum, et Ecclesiae definitionibus (si adsit copia librorum) diligenter conferret. 4 Rectitudo intentionis, seu benè efformata voluntas: *Sunt*, inquit enim D. Bernardus, *qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, et haec turpis curiositas est; et sunt qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, et turpis quaestus est; et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut aedificent, et prudentia est*: (In Cant. ser. 20.). Fugiant primos Ecclesiastici tyrones; aemulentur secundos. 5. Timor Dei, et probitas vitae. Licet enim quicumque pollet ingenio naturali, multa scienter consequi valeat: vera tamen sapientia contubernium non habet cum iniquitate: *Quoniam in malevolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccato* (Sap. c. 1.). Et Apostolus ait, ad Corint. scribens (1. C. 2.). *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia . . . . Quis enim cognovit sensum Domini, ut instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus*. Ut ergo spiritus Scripturarum intelligatur, oportet habere sen-

sensum Christi. 6. et ultima Oratio, haec siquidem clavis est, quae nobis aperit sensum Scripturarum. Hac clave ad reseranda Scripturarum arcana semper usi sunt homines Dei, atque Doctores Ecclesiae, ut de se ipsis fatentur SS. Hieronymus, Augustinus, Thomas Aquinas, Bonaventura, aliique, qui omnes magis oratione, quam lectione multum profecerunt, nec unquam sine praevia oratione aliquid adorti sunt. Qua de re adolescentulis meis devotè recitandum ante studium sequentem Orationem propono: *Clementissime Pater, infunde nobis per merita Jesu Christi Filii tui Spiritus Sancti gratiam, qua intellectus noster, liberalibus disciplinis plenus, illustretur, quas aliquando in tuum divinum honorem, et nostram spiritualem utilitatem convertere possimus. Per Christum ec.*

CAPUT XX.

De variis sensibus Scripturarum.

CUm, Augustino scribente (l. 1. de Trin. C. 12.) *nullo locutionis genere loquatur Scriptura, quod in consuetudine hominum non inveniatur, quia utique hominibus loquitur*: hinc maxime ad Scripturarum sensum attendendum est, ne forte decipiamur. Sacri namque Scriptores *Antropopathos*, idest humano more locuti sunt. Sensus igitur Scripturarum duplex est, litteralis, qui et historicus, et mysticus. Litteralis est ille, quem littera ex-

exhibet, hoc est, quem verba ipsa proximè ostendunt. Mysticus vero ille, qui sub rebus per verba significatis latet; quare mysticus idem est, ac occultus. Triplex est autem mysticus sensus, allegoricus, tropologicus, seu moralis, et anagogicus: primus explicat Scripturam in ordine ad Ecclesiam militantem: alter in ordine ad mores: postremus in ordine ad Ecclesiam triumphantem. Id totum videre est in hoc verbo *Jerusalem*, quod litteraliter sumptum designat Civitatem illam in Palaestina sitam, quae sedes fuit Regum Juda; allegoricè intellectum denotat Ecclesiam militantem; anagogicè Ecclesiam triumphantem; tropologicè animam justi. Varios hosce sensus sapienter comprehendit Nicolaus de Lyra duobus seqq. versiculis:

Littera gesta docet; quid credas allegoria;
Moralis quid agas; quo tendas anagogia.

CAPUT XXI.

De quibusdam praecipuis regulis in sacra Scriptura exponenda necessario servandis.

Regula I. Quotiescumque sanctae Scripturae verba sine aliquo incommodo, hoc est sine ullo inconvenienti, possunt proprie ut sonant, et jacent, accipi, et intelligi: ita sanè accipienda, et intelligenda sunt; neque ad metaphoras, aliosque sensus improprios inflectenda, nisi ex iisdem propriè acceptis absurdus aliquis sensus elicere-

tur



tur. Neque enim homines Dei inspirati absurde, et perperam locuti sunt, his, aut illis verbis potius quam aliis, Spiritu veritatis movente, utentes.

Reg. II. Si locus aliquis subinde obscurior occurrat, et aliis locis per verba clariora proponatur: ad haec recurrendum est, ut elucidetur. Textus enim non umquam melius, quam per textum explicatur.

Reg. III. Scopus, et intentio Scriptoris erunt quammaximè attendenda, nempe quorsum, quibus, contra quos, et ex cujus persona scribat. Siquidem ex mente scribentis, et ex scopo sensus verborum illius saepè colligitur: ita scopus V. T. est annunciare Christum, eumque variis exprimere typis; donec ipse advenerit; Novi autem, quomodo in ipso omnia jam completa sint. Quisquis ergo utriusque scopum adverterit, illorum sensum non difficulter consequetur.

Reg. IV. Quando Scripturae contradictoria enunciare videntur, aut illarum sensus dubius est: tunc antecedentia et consequentia simul conferre oportet; aliter enim truncus, et dissectus; aliter integer, et collatus textus sonat.

Reg. V. Scripturarum loca, quae fidei Dogmata enunciant, non ex proprio sensu; sed ex Traditione, et mente sanctae Ecclesiae, ex Conciliorum Decretis, et Patrum consensu sunt intelligenda: Hi namque sunt veri Controversiarum Judices. Neglectu hujus Reg. Haeretici errores non paucos pro veritatibus profitentur. Reg.

Reg. VI. Ne quis temere credat, Scripturas non satis sibi constare, dum prima fronte diversa enunciare videntur: hae diligenter, et caute ad concordiam revocandae sunt. Etenim saepe in sacris Scriptoribus contingit, ut verba, quae idem important, non sint eadem, sed in rei veritate conveniant: item quod locutiones simillimae videantur, et tamen illarum sensus non sit idem.

Reg. VII. In iis, quae, salva fide, disputari adhuc possunt, nemo plus aequo praesumat, nemo temere judicium praecipitet; sed expectet in humilitate sua Ecclesiae oraculum. Ita enim errori locus praecluditur.

Regulae aliae ad veras dignoscendum Traditiones.

Reg. I. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum, certissimè creditur. Hanc regulam tradit Augustinus l. 4. contra Donatistas. Enimvero si consuetudinis cujusdam originem investigantes, neque ad Summos Pontifices, neque ad Concilia eamdem referre possumus, sed necessario ad Apostolos, aut ipsum Christum fieri debeat regressus, plane conficitur, consuetudinem illam Apostolicam esse, et Divinam.

Reg. II. Si quod fidei dogma Patres ab initio secundum suorum temporum successionem concordissimè tenuerunt, ejusque contrarium ut haereticum refutarunt; quod tamen ex sacris litteris non habeatur: id per

Apo-

Apostolicam Traditionem habet Ecclesia. Fingi enim non potest, quomodo omnes diversis temporibus, diversisque locis constanter convenerint in unum, nisi omnes, et singuli ita fuerint ab aliis semper instructi.

Reg. III. Si quidquam nunc est in Ecclesia communi fidelium consensione probatum, quod humana potestas efficere non potuit, id ex Apostolorum traditione necessario derivatum est. Enimvero quod humana potestas non potest, id posse Divinam concedendum est. Ita vota dissolvere, et juramenta dimittere, non erat humanae potestatis, quia quae jure naturae vota nuncupata sunt Deo reddere tenemur, et juramenta servare. Humana namque potestas ea, quae jure naturae debita sunt, et constituta, tollere nequit, aut dimittere: sic de aliis multis dicito, quae ad Ecclesiam spectant, ut est Matrimonium ratum per solemnem Monasticam professionem dissolvere, licet jure naturae sit indissolubile. Neque enim credere fas est, Ecclesiam Dei aliquam sibi usurpasse generalem potestatem in iis, quae sunt juris naturae, nisi illam a Christo, aut ab Apostolis accepisset.

Reg. IV. Quando viri Ecclesiastici aliquod dogma, vel certam consuetudinem uno ore testantur ab Apostolis accepisse, certum argumentum est, ut ita esse credamus. Hujusmodi est Symbolum fidei, quo vulgus fidem suam profitetur, veneratio sacrarum Imaginum, aliaque permulta, quae Ecclesiam

ab

ab Apostolis habuisse, viri Ecclesiastici, et Synodi communiter tradunt.

CAPUT XXII.

De celebrioribus sacrarum Scripturarum Interpretibus.

CUm libri Hebraeorum V. T. sine punctis vocalibus primum conscripti fuerint; et vera lectio apud Judaeos traditione servaretur, atque hujusmodi traditio per Judaici populi dispersionem sensim aboleri caeperit: hinc addita fuerunt Scripturis puncta vocalia; ad hoc ut legi potuissent, ab Judaeis, ut vulgo putatur, Academiae Tibericensis circiter initium saec. VI. Multae tamen et ante Christum natum, et post ipsum factae sunt Versiones, et Expositiones Scripturarum. Inter Versiones omnium antiquissima illa est, quam Septuaginta vocant; quatenus consilio, et jussu Ptholemaei Philadelphi R. Ægypti; litterarum quammaxime studiosi, sub Eleazaro Judaeorum Pontifice, ut communior sententia tenet, Septuaginta Doctores in lingua hebraea peritissimi in unum convenientes ex primigenio exemplari sanctas Scripturas sunt interpretati graeco sermone. Post hanc tres aliae sunt Grecae Versiones, et hae quidem celeberrimae. Harum prima est Aquilae Pontici, primum Christiani, dein Judaei, circiter an. Christi 130., regnante Adriano Imperatore. Altera Theo-

do-

dotionis Ephesini, ex Christiano haeretici, ac demum Judaei, circa an. Christi 184.; sub Commodo Imperatore. Tertia Symmachi Samaritani, qui ex Judaeo primum Christianus fuit, et mox Ebionis discipulus. Tres etiam aliae divulgantur Graecorum anonymae Versiones; sed eas indicasse sufficiat. Plurimae quoque sunt Orientales Versiones, quas inter primum locum tenet Samaritana, pauló ante Christum exarata, solius tamen Pentateuchi, quae hodie in Polyglottis, et Anglicanis reperitur.

Post Christum antiquior venit Syriaca, quae postmodum dicta est Maronitica a Maronitis, qui habitant in pagis Montis Libani, et in parvis Syriae Civitatibus ; accedunt Arabica, Aethyopica; Persica, Armenica, Illyrica, Coptica, quae tamen ad sacros Codices illustrandos nihil, aut parum conferunt. Non desunt Occidentales, nimirum Italica, Hispanica, Gallica, Germanica; Hungarica, Polonica, Belgica, Hibernica, aliaeque. Praeter recensitas Versiones sunt quoque Caldaicae Paraphrases, post captivitatem Babyl. eo consilio editae, ut Judaeis, qui veterem illam Hebraeorum Bibliam vix, aut nullo modo intelligere valerent, possent aliquantulum opitulari.

Restat, ut dicamus de Versionibus Latinis, quae a primis usque Ecclesiae temporibus tot extiterunt, Augustino fatente (de Doct. Chris. l. 2. C. 2.) ut vix possint enumerari. Una ex his praestantior ha-

be-

bebatur, quae ab ipso Augustino (Ibid. C. 15.) Itala, et ab Hieronymo Communis, et Vulgata dicebatur. Et haec ab Hieronymo correcta, et illustrata, ac etiam aliis Versionibus cum ex Hebraeo textu, tum Graeco conflata, est illa Vulgata Scriptura, quam Tridentini PP. (Sess. 4. Can. 2.) authenticam declararunt, sancientes, ne eam deinceps quavis de causa rejicere quisquis auderet: idest, declararunt hanc nostram Vulgatam caeteris aliis Latinis anteponendam esse: relictis tamen in suo *esse* textibus Graeco, et Hebraico, praesertim vero 70. Interpretum Versione, quae summo in honore habita semper fuit in Ecclesia; et qua Apostoli, et Evangelistae, testibus Irenaeo (l. 3. C. 25.), et Hieronymo (Praef. in Evan.) usi sunt, eaque nascentis Ecclesiae fidem firmarunt, atque dein Episcopi et Patres scriptis illustrarunt, Hebraico fonti caeteris magis conformiorem eam judicantes. Hanc Versionem Ecclesia Graeca a prima aetate sacram fecit, et nunc facit, Ecclesia Latina non adversante.

Hanc 70 Versionem, quemadmodum et illas Aquilae, Symmachi, ac Theodotionis Origenes in unum corpus, seu in unam Bibliam collegit, quam dixit *Tetrapla*, eo quod in illa continebantur quatuor versiones; quibus cum postea addidisset textum Hebraeum, Hebraicis, et Graecis characteribus, Biblia effecta est *Hexapla*, scilicet, sex habens paginas, seu columnas. Cum tandem quin-

quintam, et sextam versionem Graecam, quas repererat in dolio, adjunxisset, evenit *Octapla*. De hac Origeniana Bibliorum editione loquens Hieronymus in Cap. 3. Epist. ad Titum, ait: *Nobis curae omnes veteris legis libros, quos vir doctus Adamantius in Hexapla digesserat, de Caesariensi Bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare; in quibus et ipsa Hebraea propriis suis characteribus verba descripta, et Graecis literis tramite vicino; Aquila item, et Symmacus, Septuaginta et Theadotion suum ordinem tenent. Nonnulli vero libri, et maxime ii, qui apud Hebraeos versu compositi sunt, tres alias additas habent, quas quintam, et sextam, et septimam translationem vocant, auctoritatem sine nominibus Interpretum consecutas. Hoc immortale illud ingenium suo nobis labore donavit.*

Quoniam vero non omnibus erat tam grande Opus comparare, ac evolvere, aliam elaboravit Origenes editionem, in qua sola versio 70. Interp. esset, cui asteriscos, obelos, et similes notas apposuit. ex quibus agnosceretur quae ex hebraeo fonte in ista versione deessent, et quae redundarent. De hac ita loquitur Hieronymus in Epis. ad Suniam, et Fretellam: *Ubi quid minus habetur in Graeco ab hebraica veritate, Origenes de translatione Theodotionis addidit, et signum posuit asteriscum, idest, stellam, quae quod prius absconditum videbatur, illuminet, et in medium proferat. Ubi autem in Hebraeo*

non

non est, in Graecis Codicibus invenitur, obelos, id est, jacentem posuit virgulam, quam nos latinè veru possumus dicere; quo ostenditur jugulandum, et confodiendum, quod in authenticis libris non invenitur: quae signa et in Graecorum, Latinorumque poaematibus inveniuntur. Supplevit igitur Origenes ex Theodotione, quae Graeci senes omiserant, quia ipse textum Hebraeum pressius prae caeteris persecutus est; quod addimentum ne cum textu confunderetur, asterisco notavit. Aliis quoque notulis usum fuisse Origenem, volunt plurimi; nempe *lemniscos*, et *hypolemniscos*: sic autem notabatur lemniscus .−̇., hypolemniscus vero −̇·, asteriscus sic pingebatur *, obelus hoc modo ÷. Quae postmodum signa, ut Hieronymus conqueritur in Epis. ad Suniam, et Fretellam, incautè neglecta confusionem ignorantibus, et causam praebuerunt errorum: *Quae dum*, sunt ejus verba, *per scriptorum negligentiam a plerisque quasi superflua relinquuntur, magnus in legendo error oboritur.* Factum enim hinc est, quod versio 70. cum Theodotionis versione confunderetur, ut postea vix constiterit, quae 70. esset, quae Theodotionis: adeò ut, ut admonet ipse Hieronymus, pro diversitate regionum, diversa circumferrentur hujus editionis exemplaria. Post autem inventam Typographiam adeo diversae prodierunt hujus editiones, ut omnes differant inter se. Editio namque Complutensis facta an. 1511. expensis Cardil. Ximenes, differt ab editione

Va-

Vaticana an. 1587. Siquidem ex viris doctis, qui editiones Graecas 70. fieri curarunt, alii in animo habuerunt (quod fuit scopus Complutensium) versionem illam ad concordiam evocare cum hodierno textu hebraico; alii cum testimoniis ex dicta versione (quod facere intenderunt Romani) quae leguntur apud antiquos Patres, proponebant diversorum codicum lectiones suo consilio magis idoneas. Illa primum cusa fuit Compluti an. 15'5, deinde Venetiis an. 1518. typis Aldi Manutii. Illa Romae studio Card. Carafa; et Graecam Vaticanam versionem, et hujus collectam ex scriptis SS. Patrum conjunctim edendam curavit Joannes Morinus Parisiis an. 1628. Nostris tandem hisce temporibus in hoc sacrarum Scripturarum negocio nihil desiderandum superest, postquam studio, ac labore doctissimorum virorum in lucem prodierunt locupletes illae, et omni ex parte completae Bibliorum Polyglottae. En tibi praesto sunt, studiosissime Lector, Bib. Polyglotta Benedicti Ariae Montani Hispalensis cum Lexic. Hebraico-Graeco Latino, magnis 8. Voluminibus comprehensa; Biblia maxima Joannis de la Haye Ordin. Minor., decem et novem voluminibus aucta; Concordantiae sacr. Bibliorum Hebraicorum, 4. Volum. exaratae, Auctore Mario de Calasio Minor. Observ. In quibus omnibus, aliisque, si tempus, et vita non tibi deerit; copia, atque commoditas addiscendi profecto adesse haud poterunt.

Tran-

Transeamus modo ad sanctarum Scripturarum Expositores, quorum ab initio Ecclesiae usque nunc per saecula innumeri propemodum floruerunt: nobis sat erit nonnullos ex celebrioribus indicasse. Scripserunt itaque Commentaria in totam Scripturam Rabanus Maurus, Anselmus Laudunensis, Strabo, Hugo C., Nicolaus Lyranus Minorita, Dionysius Carthusianus, Emmanuel Sà, Joannes Mariana, Cornelius a Lapide S. J., Calmet Benedict., Alphonsus Tostatus, qui tamen, morte praeventus, singulare Opus perficere nequivit. Infiniti autem sunt, qui in aliquos Scripturae libros Commentaria, aut Homilias, aut Sermones scripsere. Ex PP. Origenes, S. Joannes Chrysostomus, S. Cyrillus Alexand., Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius Thaumat., Gregorius Nissenus, Gregorius M., Beda, Ahimo, Bernardus, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, aliique. Ex Theologis, Theodoretus, Alcuinus, Eucherius, Procopius, Rupertus Ab., Lypomanus, Oleaster, Pererius, Cajetanus, Catharinus, Hugo Victorinus, Nicolaus Serrarius, Tyrinus, Didacus Stella, Silveira, Ægidius Romanus, Ludovicus Soto major, Ruffinus, Cornelius Jansenius, Lorinus, Maldonatus, Franciscus Toletus C., Joannes de la Haye, Dominicus Soto, aliique quamplurimi, quos omnes longus essem referre. Hos consulat sedulus Lector.

CA-

CAPUT XXIII.

De Alphabeto Hebraeo, et Graeco; ac de Idiotismis linguae sanctae.

AD plenius intelligendum Scripturas Sanctas, plurimum profecto juvabit, linguas, quibus primum conscriptae sunt, optime callere, quod paucis admodum est. Sed quoniam per tot saecula in linguae Hebraicae, et Graecae intelligentia desudarunt viri peritissimi, qui sanctos Libros ex hebraico, et graeco idiomate in linguam latinam transtulerunt diligenter, eosque illustrarunt locupletibus commentis, ut jam vidimus super. Cap. hinc tyroni studioso sufficiat, hos legere, hosque pervolutare die, noctuque; neque enim discipulis datum erit magistros antecellere. Quod ut securius assequatur, Alphabetum Hebraeum, et Graecum hic subjiciam: non tamen hebraicis, et graecis literis exaratur, nisi initialibus.

ALP

Figura N

A α ἄλ

B β βι

Γ γ Γ γα

Δ δ δέ

E ε ἐψ





Hebraei quinque solummodo habent finales litteras, quae nusquam reperiuntur nisi in fine vocum; sunt autem Caph, mem, nun, pe, tsade. Hisce utuntur in exponendis numeris 500. 600. 700. 800. 900. Plurimas quoque habent litteras, quae vix distinguuntur inter se; et quae nonnisi longo usu discerni possunt.

Hinc Hebraica lingua, quemadmodum et quaecumque aliae, suos habet Idiotismos, locutiones, scilicet, secundum vulgus, seu ad captum vulgi accommodatas; quorum proinde vim et proprietates non bene animadvertentes Graeci et Latini Interpretes multifariam, diversisque modis expresserunt nomina propria Hebraeorum; et alius sic, alius aliter interpretatus est. Sciendum namque Hebraeos non habere casus, eodemque nomine invariato per omnes casus uti: factum inde est, quod Interpretes casum pro casu saepe usurpent. Ut illud ex cau. (2. Corin. C. 8. v. 23.) *Sive pro Tito, sive fratres nostri*, idest *pro fratribus nostris*. Verba item eorum non habent indicativum praesentem, et imperfectum, quorum loco praeterito utuntur, vel participio: ita *credidi*, idest, *credo*, *et ad simulacra euntes*, hoc est *ibatis*. Carent etiam comparativo, et superlativo, et ad exprimendos hos gradus positivo utuntur: dicunt *bonum* (pro melius) *est confidere in Domino, quam confidere in homine*. Insuper lingua Hebraea non habet ultra 1022. radices, a quibus omnia derivantur nomina. Pro-

pter hunc igitur adeo exiguum radicum numerum, saepe unum idemque nomen, et verbum, vel eadem sententia pluribus, diversisque rebus significandis adhibetur. Praeter autem activam, et passivam conjugationem, aliam mediam habet Hebraeorum lingua; et nomina duali terminatione significant rem esse geminam. Adde, quod verbum, prout flectitur, contrarias habet significationes; adeout aspiratio, et inflexio uno, aut altero modo totam vocum significationem efficiant. Cum vero Latinus interpres hasce diversas flexiones non habeat, ideo ambiguus est. Ita verbum *benedicere* in hebraeo sonat interdum *maledicere* pro diversa pronuntiatione, quam nunc vocalia puncta distinguunt. Tandem cum diversae sint in hebraea lingua conjugationes, sive flexiones, juxta illarum varietatem et sonum, idem verbum praeter actionem; quam significat, denotat etiam modum actionis particularem: nempe, an quis agat, aut agatur, an in se agat, aut alios agere faciat, quod cautè advertendum est. Sic illud Evangelii: *de die autem illo (Judicii) neque filius hominis scit*, ex proprietate sermonis hebraei vertere possumus pro *non facit scire*; Christus namque verbum, quo usus est, potuit adeo flectere, ut id significaret. Sic illud Pauli: *tunc cognoscam, sicut et cognitus sum*, positum est pro *tunc efficiar cognoscens*. In versionibus Graecis et Latinis verba activa denotant duplicem actionem, quando verbum he-

hebraeum, cui respondent, est in conjugatione, quam *Hiphil* appellant: ut illud *emigrabit te* (Ps. 51. v. 7.), idest, *emigrare te faciet*; *Ipsi regnaverunt* (Osee C. 9. v. 4) nempe, *regem sibi constituerunt*; *Spiritus postulat pro nobis* (Rom. C. 8. v. 26.) hoc est *postulare facit*; *Deus triumphat nos* (2. Cor. C. 2. v. 14.), intellige *triumphare nos facit*.

Quia vero praepositionum, et conjunctionum, sicut, ut dicunt Hebraei, literarum servilium numerus exiguus est; idcirco Graeci et Latini una pro altera praepositione, et conjunctione liberè utuntur; cum una eademque litera hebraea diversarum praepositionum, et conjunctionum vim habeat. Praepositionum enim loco utuntur Hebraei elementis alphabeti sui, quae multis respondet praepositionibus nostris. Serviles autem hujusmodi literae dicuntur apud eos, quia multiplici usui deserviunt. Numerus item rotundus, et plenus saepe utitur ab Hebraeis, minore neglecto, qui aliquantum excrescit, aut deficit. Unus aliquando ponitur pro *primus*: ut in illo Evangelii *una sabbati* pro *prima dies* hebdomadis. Voculae *non amplius*, *non ultra*, *saeculum*, *generatio*, *generationes*, *aeternum*, in phrasi hebraica non semper significant absolutam aeternitatem; sed durationem indefinitam, diuturnam, sive longum tempus, cujus finis ab homine nunc vivente haud videtur. Sunt insuper voces hebraeae diversae significationis,

quarum ambiguitatem non advertentes Interpretes, primi in errorem inducti sunt, ad alios induxerunt. Ita quia *caran* significat *cornua producere, et radios splendoris instar cornuum emittere*, Interpretes dixerunt Moysen cornutum factum a consortio Dei, ipsumque cornutum pictores repraesentarunt; cum potius vertere debuerant: *Moysen facie radiantem*, vel *radios e facie emittentem*. Nomen *Kebem* aequivocum est; notat enim orientalem plagam simul et anteactum tempus; ac etiam usurpatur pro his particulis *antea, ante*. Ita quoque nomen *davar* significat sermonem, et quamcumque rem. Nomen *etzem* propriè denotat *os, corpus, substantiam*, et quandoque obtinet locum pronominis. Ita *corpus peccati* est ipsum peccatum, *corpus mortis* ipsa mors, *corpus Ecclesiae* ipsa Ecclesia. Vasa sunt quaevis instrumenta; sic *vasa mortis* sunt id omne, quo mors infertur; *vasa belli* arma, et instrumenta mortis; *vasa psalmi, et Cantici*, omnia instrumenta musica. Ita de hoc nomine *filius*; hebraei etenim appellant sagittas *filias pharetrae*, insulam *filiam maris*, suburbia, et vicos Civitati subjectos *filios ejus*. Item filius ponitur pro discipulo; hinc *filii Prophetarum* hoc est *discipuli*; *justificata est sapientia a filiis suis*, nempè a discipulis. *Pactum salis* ponitur pro *pacto aeterno*, *lapis* interdum pro *pondere*. *Ponere in manu animam*, *seu vitam*, idem est, ac *in periculo versari*, aut *periculo exponi*. *Virtus* pro *exercitu*, *auditus* pro *rumore*

more usurpantur; *sedere* pro *manere*, *pretiosum* pro *raro*, *Coelum* pro *Deo*, *animam* pro *vita*, *caput* pro *summa*, *lucerna* pro *vita*, *labor* pro *dolore*, *cornu* pro *potentia*; *alienigena* sonat *meretrix*, *perforare aurem* est *servum quempiam facere*. *Calix*, et *funiculus*, praeter ordinariam significationem, denotat *haereditatem*; quia haeredes dum agros dividebant, hos metiebantur funiculis, et dum sorti divisionem committebant, sortes mittebant in calicem. Geminatum substantivum significat excellentiam, et vicem tenet superlativi; sic *Sancta Sanctorum* pro *sanctissima*, *Canticum Canticorum* pro *excellentissimum Canticum*, *vanitas vanitatum* pro *res vanissima*. Eadem quoque vox substantiva in eodem casu geminata ejusdem rei denotat multitudinem, seu universitatem: *Homo et homo natus est in ea*, nempe *multi homines*, *populi populi*, idest *omnes populi*, *duo et duo* scilicet *bini*. Et sic de sexcentis aliis idiotismis, ac proprietatibus linguae sanctae, quas nobis sat fuit innuere, quoniam ad alia properare debemus. Lector, qui plura desiderat, adeat sacros Interpretes, legatque praecipuè Marium de Calasio Tom. primo.

CAPUT XXIV.

De festis, et sacrificiis Judaeorum.

PLurimi erant apud Hebraeos festivi dies; alii, quos Deus ipse praeceperat servandos

dos; alii, quos ipsi sponte sacraverant. Instituti a Deo septem numerantur. 1. Sabbatum, cui benedixit Deus, atque sanctificavit, postquam die septima cessavit ab omni opere quod patrarat (Gen. C. 2.). Observatio diei sabbati propter jam datam rationem praecepta fuit homini ab initio, et altius a Deo repetita Judaeis. 2. Pascha, quod idem est ac transitus Domini, et hanc quotannis solemniter per tres dies celebrabant Hebraei in memoriam egressionis a servitute Aegypti. 3. Festum Pentecostes, quod die 50. celebrabatur ab exitu de Aegypto, quia per Moysen hac die publicata est omni populo lex a Deo accepta. Dicebatur etiam festum hebdomadum, quia hebdomades septem enumerabantur a celebratione Paschae, post quas dies 50. solemnis erat. Vocabatur etiam festum primitiarum fructuum, eo quod in illo offerebantur Deo duo panes ex farina confecti novi frumenti. 4. Festum Tabernaculorum, quod celebrabatur die 15. Mensis septimi; manebant Hebraei septem dies intra tuguria viridantibus ramis composita, et dies octava erat solemnis. Hoc festum respondebat nostrae lunae Septembris: celebrabatur autem in memoriam 40. annorum, quibus Israelitae manserunt sub papilionibus in deserto, antequam promissionis terram ingrederentur. 5. Festum Tubarum die primo mensis Tisri, qui septimus erat in an. sacro sive Ecclesiastico. In hac solemnitate tubis canebant Hebraei, vel in memoriam libera-

tionis

tionis Isaaci, qui se obtulit devotè ad immolandum Deo; sive in memoriam tubarum, ac tonitruum, quae obstrepuerunt in monte Sinai, dum Deus Moysi legem dabat; sive tandem ut se ipsos excitarent ad Deo fideliter serviendum in fine anni Civilis, qui tunc desinebat. 6. Festum Propitiationis, seu Expiationis, institutum ad purificanda corpora, et delenda peccata: celebrabatur die decima men. Tisri. 7. Festum Caetus, seu Collectae; in quo colligebatur pecunia sive pro Tabernaculi, sive pro Templi utilitate. Praeter hos dies Festos colebant Hebraei quemlibet diem primum mensis, quod festum dicebatur Neomenia, hoc est nuovae lunae, quia lunares erant eorum menses. Servabant quoque Hebraei annum sabbaticum, qui quolibet septennio recurrebat, et annum Jubilaeum, qui 50. an decursu habebatur.

Dies autem Festi instituti ab ipsis Hebraeis 4. sunt, nempe: 1. Festum sortium, eorum lingua *Phurim*, die 14., et 15. Adar, in memoriam liberationis per Esther in Perside (Esther C. 9.). 2. Festum Encaeniorum, seu purgationis Templi, quae facta est sub Juda Machabaeo (1. Mach. c. 4.). 3. Festum recepti e caelo ignis sacri (2. Mach. c. 1.). 4. Festum ob caesum Nicanorem (1. Mach. 7., et 2. c. ult.).

Festa Judaeorum semper incipiunt ab occasu solis usque ad alterum occasum diei sequentis: quapropter cadunt in duos dies Kalendarii Romani. In his a primis temporibus

ribus legunt Hebraei in suis Synagogis Scripturam, quam sic partiuntur, ut singulis sabbatis *parascha*, hoc est portio legis habeatur, adeo ut intra anni spatium totam evolvant, incipiendo a Genesi; ea tamen conditione, ut in festo Tabernaculorum, integra perlecta lege, rursum a Genesi exordiantur; in hoc enim festo prima Geneseos parascha legitur.

Habent tandem Hebraei dies Angariarum, sive jejunia, in quibus et a cibo abstinent usque ad vesperam, et affligunt animas suas. Haec jejunia plurima sunt, quae in eorum Kalendariis suis diebus notantur. Ex his alia sibi ipsi adsumpserunt propter varios eventus nunc faustos, nunc luctuosos; alia, quae Deus ipse praeceperat.

Pro hujus rei plenaria intelligentia aliquid addendum est de temporis mensuris apud Judaeos. Ipsi igitur habebant, sicut et nos, dies, hebdomadas, menses, et annos. Diem dividebant in duodecim partes, seu horas, quarum quaelibet duodecima pars erat illius temporis, quo sol conspicuus est nobis: quo fiebat, ut horae aestivae longiores essent hibernis. In die autem distinguebant *mane*, *meridies*, *vespera*: *mane* cum sol oriretur; *meridies* cum vertici nostro immineret; *vespera* cum ad occasum vergeret, et occideret. Hinc duas vesperas distinguunt Hebraei; una a meridie, quando sol incipit inclinare ad occasum; haec est vespera una; altera vespera post solis occasum. Noctem

quo-

quoque in quatuor partes dividebant, quae dicebantur *Vigiliae*, et quaevis earum tres horas habebat. Primam appellabant *Caput vigiliarum*; secundam *mediam*, eo quod tota flueret usque ad mediam noctem; tertiam *horam tertiam matutinam*, postrema *vigiliam matutinam*, quas nos diceremus *sero*, *media nox*, *gallicinium*, *mane*. Septenarius numerus dierum efficiebat hebdomadem, quae vox graeca est, spatium significans septem dierum. Septima dies sabbatum, hoc est dies requiei. Prima dies, quae sequebatur post sabbatum, dicebatur prima sabbati, altera secunda sabbati, tertia, quarta, quinta, sexta sabbati, quibus nominibus singulae dies hebdomadis notabantur. Sexta autem sabbati erat *Parasceve*, quod idem est ac *praeparatio*, quia in illa die omnia praeparabantur victui necessaria in sequens sabbatum. Advertat autem prudens lector, quod sabbatum non semper denotat septimam diem hebdomadis, sed totam quoque hebdomadem; quare illud Pharisaei apud Lucam: *Jejuno bis in sabbato*, hoc est in hebdomade. Nomen quoque *Hebdomadis* aequivocum est: quandoque enim usurpatur pro numero septem dierum, quandoque pro spatio septem annorum, quod dicebatur *Sabbaticus*, quo terra quiescere debuerat.

Menses Hebraeorum lunares erant; nec eos incipiebant a conjunctione lunae cum sole, sed a phasi, sive a prima visione lunae; et erat *Neomenia*; quae illico clangore tubae in-

indicebatur. Nomina mensium hebraicorum sunt 1. Avib seu Abib; post tempora captivitatis Avib dictus est Nisan, 2. Jar, 3. Sivam, 4. Tammus, 5. Ab, 6. Elul, 7. Tisri, cui olim nomen Ethanim, 8. Marchesvan, 9. Kiseu, sive Kasleu, 10. Thebet, 11. Schebet, 12. Adar.

Quoniam vero annus 12. mensium lunarium minor est anno solari undecim diebus, horis duabus, et minutis nonnullis: hinc Hebraei ad hujusmodi temporis jacturam reparandam quolibet tertio anno unum mensem addebant, et tunc annns erat 13. mensium, seu 13. lunarum; et hunc mensem appellabant *Veadar*, quasi dicas *Adar*, seu secundus *Adar*, et tunc annus erat *Embolimaeus*, quasi dicas, insitus, sive additus. Non idem tamen est initium apud Hebraeos anni Civilis, et Ecclesiastici: initium namque anni Ecclesiastici, sive qui ad festa, et res divinas spectat, est *Nisan*, in quo Hebraei egressi sunt de Aegypto. In politia vero mensis *Tisri* habetur primus

De sacrificiis tandem veteris legis pauca dicemus, quia de his abunde Theologi. Sacrificia igitur Hebraeorum triplicis generis erant: *Holocaustum*, in quo tota comburebatur victima, quin aliquid vel minimum superesset ad usus humanos. *Sacrificium pro peccato*, ad excitandam detestationem, seu contritionem de peccato ipso, ejusque expiationem obtinendam, institutum pro peccatis exterioribus, et ut plurimum pro publicis of-

offerebatur. In hoc sacrificio una pars victimae comburebatur, altera cedebat in usum Sacerdotum, ni forte offerretur pro peccatis totius multitudinis, sive Sacerdotum, in quibus casibus tota debuerat ab igne consumi; pro illo namque, qui de victima oblata participabat, non intelligebatur oblatum sacrificium. *Hostia pacifica*, quae offerebatur pro gratiarum actione, vel pro salute, et prosperitate offerentium, uno verbo cum pro beneficiis acceptis, tum accipiendis. Hoc sacrificium in tres dividebatur partes; una consummabatur in Dei honorem; altera pro usu erat Sacerdotum; tertia offerenti dabatur. Lege Leviticum Cap. 1. 3. 4. 6. et 7. In hisce Sacrificiis, quae tota erant carnalia, ex quadrupedibus praeter boves, oves, et capreas; ex volatilibus autem praeter turtures, et columbas, caetera omnia animantia, et volatilia offerri Deo non poterant, quia a lege habebantur immunda; quorum mysticam rationem apud Interpretes reperietis. Ad commodum tamen pauperum etiam offerebantur Deo panes, simila, oleum, sal, spicae, et alia hujusmodi. Circumcisio tandem, Agnus paschalis, purificationes pro variis immunditiis legalibus, et expiationes a peccatis, Sacerdotum et Levitarum consecratio, esus panum propositionis, ablutio manuum et pedum etc., veluti sacramentorum locum tenebant apud Hebraeos.

CA-

CAPUT XXV.

De statu Reipb. Judaeorum, ac de Judiciis.

STatus Reipb. Judaeorum sub initio nec fuit *Democratia*, in qua regimen est penes plebem, nec *Aristocratia*, ubi nobiles, seu Optimates praesunt, nec *Monarchia*, in qua unus solus imperat, sed fuit *Theocratia*, in qua nimirum Deus tantum regnaret. Ipse namque ex Gentibus universis Abrahamiticum genus elegit, ex quo sibi populum efformaret, qui diceretur *populus Dei*. Hos de Canaan adduxit in Ægyptum; hos de Ægypto deduxit; hos aluit in deserto per an. 40., hos tandem reduxit in Palaestinam, eisque possidendam tradidit fertilem Cananaeorum terram. In hoc igitur populo omnia, quae juris sunt Principum, Regum, Imperatorum, soli Deo tribuebantur, et cum isto regimine sic Religio conjuncta, ut qui Dei leges praetergrederetur, et in sacros ritus peccaret, publicae rei hostis protinus censeretur. Deus pro Principe, et Rege Israelis se gerebat. Cum Israel in deserto peregrinatus est, in Tabernaculo, tamquam summus Imperator in Aula, sedebat, Israelitis circumseptus tamquam exercitibus: unde ipse amabat dici Deus *Sabaoth*, idest, *exercituum Deus*. Non movebant castra exercitus Israel nisi ex Dei jussu, quando summus Imperator Deus signum dabat, quando scilicet nubes, quae operiebat Tabernaculum, interdiu di-

discedebat, tunc proficiscebantur; et quando nubes residebat, denuo quiescebant castra: *Per verbum Domini figebant tentoria, et per verbum illius proficiscebantur; erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moysi* (Num. C. 9. v. 23.). Tunc dici potest efformata Hebraeorum Respb., quando Deus in Sinai Arabiae' monte legem dedit per Moysen.

Ex quo autem Moyses ad consilium Jethro soceri sui elegit ex omni Tribu Principes populi, Tribunos et Centuriones, Quinquagenarios et Decanos, ut saecularia, et quae parvi erant momenti, judicarent: tunc Respb. Hebraea exterius induit speciem quandam Aristocratiae, quam et sub Judicibus retinuit. Caeterum quia Moyses, quemadmodum et Judices non sua mandata praescribebant, sed quae Deus mandaverat, significabant; hinc solus Deus erat Imperator, cujus solius imperata servabantur, et cujus voluntas exquirebatur in dubiis rebus: uno verbo, lex Dei imperabat, et ubi imperat lex Dei, ipso Aristotele fatente in *Politicis*, Deus imperat. Optimum sane regimen. Qua de re cum populus a Samuele postulasset regem: *Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut et universae habent Nationes:* Deus Samueli respondit: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos* (1. Reg. C. 8.). Quo responso significabatur, ut Sigonius observat, hactenus regnasse Deum super Hebraeos, quia lex dominata esset; imperio autem ad Re-

gem

gem more Gentium translato, Deum non regnaturum, cum non penes legem, sed penes voluntatem hominis unius summa rerum esset futura. Et ex illo tempore Respb. Judaeorum facta est Monarchia usque ad Sedeciam. Post reditum vero a captiv. Babylonica iterum reassumpsit Aristocratiam, lege imperante. Assamonaei tandem, seu Machabaei primum sub titulo Principis simulque Pontificis, deinde sub nomine regis, veteris institutis manentibus, rem Judaeorum universam administraverunt.

Hic ad rem nostram plurimum juvabit scire: quid fuerit Hebraeorum Synedrium? quid Magistratus Templi? Synedrium graeca vox est, quod latine *Consessus* sonat. Pro cujus rei intelligentia, operae pretium est animadvertere, ut paulo ante dicebamus, in Repb. Judaeorum, religionem sic fuisse conjunctam cum ipsa eorum politia, seu rerum civilium administratione, ut causarum sacrarum, et civilium nulla esset distinctio; quia a Deo omnia ordinata erant, nedum quae ad statum Levitici ordinis, ad sacrificia, et Dei cultum exhibendum; sed etiam quae in genere vitam spectant, victum, artes, pacem, bellum, emptiones, venditiones, matrimonia, haereditas etc., quibus Respub. conservatur. Triplex itaque erat apud Hebraeos Synedrii genus. Primum constitutum erat in singulis Civitatibus, quod dicebatur *Judicium* (2. Paralip. C. 18.); et hoc duplex, unum trium Judicum, et aliud viginti

ti trium; quia Judaei in quocumque judicio numerum volebant imparem, eoquod si unus diceret *reus est*, et alter *justus est*; tertius lancem deprimeret. Haec autem judicia dicebantur Synedria minora. Ad Judicium trium pertinebat judicare de pecuniis, et bonis mobilibus. Judicum vero *Animarum*, in quo nempe agebatur de vita et nece, fiebat per viginti tres viros. Tertium Synedrium, hoc est Tribunal magnum, quod *Concilium* quoque dicebatur, compositum erat 70. Senioribus, quibus in deserto Moyses praeerat, qui proinde constituit, Synedrium inter Hebraeos componi debere 66. Judicibus. Sunt tamen qui putant, illud habuisse 72. viros; quod neque Scripturae, neque Judaeorum commentis consonum videtur. Summus Synedrii praeses appellabatur *Hanasci*, hoc est Princeps. Qui dextro hujus lateri assidebat, *Ab*, hoc est Pater Synedrii, et ille, qui sinistrum tenebat, *Hacam*, idest sapiens. Forsan has duas dignitates ambiebat mater filiorum Zebedaei pro filiis suis apud Matth. c. 20. Hoc Synedrium partim constabat Sacerdotibus, partim Principibus populi; et ad hoc referebantur tantum causae majores cujuscumque generis, et res praecipuae religionis (ex Deut. C. 17.). Cogebatur autem Coetus publicus imperio summi Magistratus, vario tubarum clangore, prout Deus praeceperat (Num. C. 10. v. 2.), vel ad ostium Tabernaculi in deserto, et tempore Judicum, quod erat palatium Dei,

vel

vel deinceps in Templo, ubi Christus ipse judicatus est a summis Pontificibus. Hisce autem modis omnia terminabantur judicia, regulis a lege praescriptis, actionibus, seu factis sontium, testibus, ac tandem sententiis finalibus, quae decreto Judicis promulgabantur. Lex erat regula judiciorum, actiones materia judicii, testes judicii comprobatio, seu determinatio, sententiae judicii conclusio, et finis.

Summa profecto fuit, ut ex allato superius testimonio Deuteronomii comprobatur, auctoritas magno Synedrio a Deo collata. Maxima quoque fuit illius auctoritas sub Machabaeis, ipsorumque Herodum temporibus. Ast sub Regibus rarò, aut numquam de illo fit mentio. Sunt, qui credunt, Cerethos, et Pelethos, qui semper David comitabantur, fuisse ejus Aulae Principes, et quasi comites Consistorianos, itaut essent loco 70. Judicum, quos Moyses delegerat. Cerethi, namque significare creduntur *exterminatores*, seu *morti adjudicantes*; Pelethi vero *punientes*; quae omnia erant Synedrii jura.

Praeter jam dicta minorum Tribunalium subsellia erant in portis Civitatum, in loco scilicet maxime frequenti, ubi facilius occurrunt hi, inter quos lites frequenter agitantur: unde quandoque in Scripturis porta civitatis sumitur pro domo judicii (Prob. C. 31., et Psal. 126.). Vide, quam provide Deus necessitatibus occurrerat populi sui,

ut

ut ubique ferme essent tribunalia pro opportunitate recurrentium, et negotiorum praepropera expeditione! Quid frustra desudant populorum Rectores circa judicia, cum tam egregiam, numeris omnibus absolutam, et quibuscumque civium necessitatibus apprime accomodatam, ob oculos habeant formam judiciorum? Quid plura? In Hebraeorum repb. in ipsis Oppidulis, quae saltem haberent 120. cives, Magistratus erat septem virorum probatae virtutis, et justitiae cultorum (Joseph. l. 4. Antiq. C. 8.). Insuper in quibusvis Civitatibus, sive parvis, sive magnis, erat unus Princeps, quasi Praefectus, seu Gubernator; ac pro numero civium, quibus hi praeerant, dicebantur vel *Principes mille*, vel *Principes centum*, vel *quinquaginta civium*. Ita de Bethleem parvula urbs infra mille cives dictum est: *parvula es in millibus Juda*.

Cujus autem integritatis esse debebant, qui judiciis praeerant, habetur ex Cap. 23. Exodi, ubi dicitur: *Non suscipies vocem mendacii, non misereberis pauperis, non accipies munera, quae excaecant prudentes, non accipies personam*. Etenim, ut inquit Philo, muneribus induci ad justitiam, est scelerati hominis; nec reddere jus absque operae praemio: quandoquidem Judaeorum judices non stipendiarii erant, sed gratis omnino Reipb. bonum curabant. Modus, quo sententia quaeque ferebatur, post legis collationem, et testium examen, ubique idem non erat. Alibi

fiebat simplici sententiae prolatione; alibi tabellis, in quibus scribebatur A; idest *Absolvo*, vel C. idest, *condemno*. Suppositus reus prius adjurabatur cum ista formula: *Da gloriam Deo* (Joan. C. 7. v. 51.), hoc est veritatem etiam contra seipsum profitendo. Testes jurabant per *Deum vivum*, se veritatem dicturos. Formula tandem judicii his verbis a Scriba concepta erat: *Talis N. sententia Synedrii damnatus est ultimo supplicio, totus populus audiet, et timebit*.

Inter poenas, quibus sontes plectebantur, erat quoque apud Judaeos poena excommunicationis, quae triplicis erat generis. Prima appellabatur *niddui*, nempe *remotio*, aut *seclusio* ab aliorum societate, etiam uxoris, et domesticorum, ad quatuor cubitos; et haec durabat 30. dies, si reus resipisceret, alioquin duplicabatur, et triplicabatur. Huic excommunicationi subjiciebantur etiam menstruatae mulieres, quae ideo a coetu separabantur, nec ad illas eo tempore accedere poterant mariti; et hi omnes, qui propter aliquam corporis, aut animi foeditatem ejiciebantur e coetu piorum ad tempus. Secunda appellabatur *cherem*, seu *herem*, quod sonat *anathematizare*, sive internecioni, aut excidio devovere. Ex hoc verbo facta est vox Caldaica *charema*, sive *haerema*, cui respondet graeca vox *Anathema*. Super huic excommunicationi subjectos, praeter separationem, multa ex lege maledicta, et plagae imprecabantur. Et in Scripturis videre est,

quo-

quomodo homines, et urbes excinderentur, quando anathemate percutiebantur. Singulare exemplum extat Judic. Lib. In hoc fortassis sensu optabat Apostolus anathema esse a Christo pro fratribus suis (Rom C. 9. v. 3.). Tertia excommunicationis species vocabatur *schamat*; quod verbum significat *excludere*. Alii volunt nomen hujusmodi conflatum esse ex his duabus vocibus *scham*, et *mitha*, quod idem est ac *ibi mors*. Et alii putant idem sonare ac *maran atha*, quam vocem reperies 1. Corint. C. 16. v. 22., et significat *Dominus venit*; hoc est Dominus venit ad judicandum. Quidquid sit de vocibus, verba quidem erant horrendi anathematis, quo feriebantur peccatores, de quorum salute actum esse videbatur, ut illis nihil aliud superesset, quam formidabilis expectatio judicii. Revera de hoc modo excommunicato ita loquitur Josephus: *Miserabili plerumque morte consumitur, nec capere ab aliis oblatum cibum potest; herbas vero more pecudum decerpens, et fame exesus per membra corrumpitur* (L. 2. de Bello, C. 11.). Forte hoc erat excommunicationis genus, quo Paulus plectit, vel plecti cupiebat incestuosum Corinthium (1. Corint. C. 5.) ut sic traditus in interitum carnis, spiritus salvus fieret in die judicii.

Poenae autem capitales quadruplices erant, ut tradunt Rabbini, nempe lapidatio, gladius, combustio, et strangulatio, seu suffocatio: crucifixio non erat poena penes Ju-

daeos usitata. Ideo Christus Jesus supplicio Crucis affectus est Romano, non Judaico more. Caeterum in Scripturis sermo etiam quandoque est de sectione a capite ad calcem per seram sive ferream, sive ligneam; quo mortis genere creditur Manasses interfecisse Isaiam Prophetam; et de hoc supplicio etiam loquitur Apostolus (*Heb. c.* 11.). Etiam reus solebat quandoque praecipitari, ut alicui magno lapidi impingens, moreretur; qui si statim non moreretur, alter ei lapis impingebatur: ad quod allusit Jesus, cum dixit: *Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem vero ceciderit, conteret eum* (Matth. c. 21 v. 44.). Etiam suffocationis mentio habetur per demersionem in aquas, magno lapide rei collo appenso: ad quam Christus allusisse videtur, cum de supplicio homini scandalizanti proximum reddendo, ait: *Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris*. Poenae vero non capitales erant carcer, vincula, compedes, talio, flagellatio. Restitutio quomodo facienda esset in damnis illatis praescribitur Exod. c. 21. et 22., itemque retributio injuriarum per legem talionis traditur (Ibid c. 21. et Levit. c. 6.). Carcer tandem, flagellatio ec. reddebantur pro qualitate facinorum.

Postremò Magistratus Templi caepit apud Hebraeos a Judae Machabaei temporibus. Siquidem delegatas copias, et cohortes posuit ad custodiam Templi, quae obortas se-

seditiones compescerent, et reos quoscumque traderent in vincula, jussu sacerdotum, quorum milites illi erant quasi lictores. De hoc praesidio Templi mentio est in Evangelio; et ex hac militia fuerunt milites, quibus stipatus Judas proditor Christum comprehendit; haec illa militia, cui Pilatus jussit custodire Christi sepulchrum. Duces autem illi, qui huic militiae praeerant, dicebantur *Magistratus Templi*, hoc est *duces* seu *Praefecti Templi* (Luc. c. 22. Act. 4.). Sic Simon ille nequam, qui accusationes detulit ad Regem contra Oniam P., ac deinceps fieri Pontifex curavit, Dux erat, seu Praefectus Templi.

CAPUT XXVI.

De ponderibus, et nummis, de quibus sermo in Scripturis.

QUantum interest ad intelligendas Scripturas nummorum, et ponderum penes Hebraeos usitatorum valorem intimius perscrutari; non minus profectò difficile est valorem ipsum adamussim aestimare, ac multo etiam magis difficile nummorum, et mensurarum Hebraeorum rationem ad rationem nostratum perfectè revocare. Ut id tamen modo, quo fieri potest, assequamur, necesse est, ut non penitus ignoretur, quae species fuerint nummorum, et ponderum, caeterarumque mensurarum, quae in usu fuerunt

runt apud Graecos et Romanos; eò maximè quia istorum nominibus sacri Interpretes expresserint Hebraeorum mensuras, et pondera. Constat igitur ex Fannio antiquo poeta, amphoram apud Latinos fuisse vas cubicum, seu vas cubo persimile, cujus latera essent unius pedis. Congius vero ex eodem erat octava pars amphorae, nempe amphora capiebat octo congios. Adstruit autem Fannius idem, amphoras octoginta libras romanas ponderesse, ac ita congium decem libras. Hoc itaque Fannii testimonio conjici potest, quae sit ratio nostratum ponderum, et cujuscumque Regionis cum Latinis. Etenim Romae in aedibus Farnesianis hodienum asservatur congius ille, quem olim Vespasianus collocandum curaverat in Capitolio, ut esset typus omnium congiorum. Sic amphora Hebraea in ratione ponderum romanorum continet libras 80., et congius libras 10.

Libra apud Romanos erat pondus usitatissimum, quod in duodecim partes dividebatur, quas uncias dicebant ipsi libram, seu quamlibet aliam rem integram appellabant *as*, quam item dividebant in duodecim partes hisce nominibus insignitas.

Un-

Uncia	Sextans	Quadrans	Triens	Quincunx	Semis
$\frac{1}{12}$	$\frac{2}{12}$	$\frac{3}{12}$	$\frac{4}{12}$	$\frac{5}{12}$	$\frac{6}{12}$
Septunx	Bes	Dodrans	Dextans	Deunx	As
$\frac{7}{12}$	$\frac{8}{12}$	$\frac{9}{12}$	$\frac{10}{12}$	$\frac{11}{12}$	$\frac{12}{12}$

Uncia dividebatur in duas duellas, in quatuor sicilicos, in sex sextulas, in octo drachma, in scrupulos viginti quatuor, in obolos quadraginta octo, in semiobolos nonaginta sex, in siliquas centum quadraginta quatuor, in lentes centum nonaginta duas.

Pondus usitatum apud Graecos (de Atticis loquor) erat drachma, quae erat pars octava unciae Romanae; ipsa continebat sex obolos, et duodecim semiobolos.

Apud Hebraeos praecipuum pondus erat siclus, quod latinis sonat pondus. Siclus erat nummus, sive hujus ponderis, et nominis erat nummus. Siclus habet viginti partes, ab Hebraeis appellatas *Gherah*, quarum quaelibet aliquantuli majoris ponderis erat, quam obolus. Sexaginta sicli faciebant minam, sive mnam Hebraeorum.

Libra Paraisina habet sexdecim uncias, uncia octo grossos, grossus tres denarios, sive 72. grana, denarius 24. grana: ita uncia habet 24. denarios, libra 128. grossos, et grana 9216. Marcam appellant octo uncias.

Olim pecunia non numerabatur, sed pon-

ponderabatur. Veteres namque utebantur metallo non signato, itaut antiquis temporibus pondera, et nummi non distinguebantur. Romani nummis argenteis uti caeperunt sub Servio Rege; usitatior nummus apud eos fuit sextertius, qui valebat duas asses cum dimidio, hoc est duas libras cum semilibra aeris. Denarius autem nummus argenteus valebat decem asses aereos, sive quatuor sextertios. Viri tamen periti volunt, denarii pondus majus fuisse sub Consulibus, itaut septem denarii aequarent pondus octo drachmarum Atticarum, quae unciam constituunt Romanam; sub Caesaribus vero imminutum fuisse denarii pondus, et aequatum Drachmae; itaut denarius et drachma ejusdem valoris essent. A devictis Gentibus tributum pendebatur denarii, in quo imago, et nomen Caesaris expressa erant: de hoc nummo non semel mentio est in Evangelio. Nunc autem Romani antiquorum pondera penitus dimiserunt, et alios, ac alios habent nummos.

Mina erat species nummi penes Atticos, 100. drachmarum pondere. Talentum Atticum valebat sexaginta minas, drachmas sex mille. Siclus hebraeus idem est ac *stater* apud Graecos, a verbo *istarai*, quod est *ponderare*. Quando in Scripturis non exprimatur species nummi intelligi debet siclus; sic dum dicitur Christus venditus triginta argenteis, de siclis argenteis sermo est. Siclus ex una parte repraesentabat vas, seu ur-

urnulam, qua Manna servabatur juxta arcam foederis cum hac inscriptione *sciat Israel*; et ex altera exhibere videtur virgam Aaronis florentem cum inscriptione *Jerusalem sancta*.

Chicar, quod et Graeci, et Latini Interpretes reddunt talentum, primum massa erat rudis. Pretium talenti satis clarè colligitur ex c. 38. Exodi; cum enim ibidem solutum fuisset capitatim a singulis Israelitis per an. singulos pro expensis Tabernaculi dimidium sicli, a sexcentis millia hominum soluta sunt centum talenta; liquet itaque sexcenta millia semisiclorum valere centum talenta; ideoque ter mille siclos unum talentum conficere. Josephus autem, et D. Hieronymus adstruunt sicli pondus fuisse semiunciae Romanae; quod patet ex Evangelio, in quo semisiclus, nempe tributum illud, quod capitatim solvebatur, primum Tabernaculo, deinde Templo, hoc est Deo, appellatur didrachmos, hoc est nummus valens duas drachmas, scilicet dimidium sicli; siclus namque integer habet drachmas quatuor. Matthaeus enim de tributo dimidii sicli solvendo, loquens, illud vocat didrachma (c. 17.). Qua lege Christus non teneri dicebat, quia Reges exigere non solent vectigal a filiis, eo quod sint immunes. Quapropter ad scandalum vitandum, dicitur Cap. eodem Christus pro se, et Petro staterem dedisse, nempè, integrum siclum; stater enim Graecis idem est, ac siclus Hebraeis. Cum autem demonstratum sit, ter mille siclos

uni

uni talento respondere: liquet inde Hebraeum talentum pondus habere 125. librarum romanarum. Talentum vero Atticum libras habet 60.

Animadvertendum vero est, pondera Alexandrina duplo majora esse Atticis, ut Varro diserte testatur. Quare 70. Interpretes, vel quia, ut quidam conjiciunt, Alexandrini erant, vel quia Alexandriae Versionem suam cuderunt, siclum non tetradrachmum, ut Evangelistae, et Josephus, sed Didrachmum interpretantur. Ita quoque Philo, quia Alexandrinus, semisiclum non dicit didrachmum, sed unius drachmae facit. Haec cum non bene inspecti fuissent nonnulli, commenti sunt duplicem siclum fuisse, unum sanctum, seu Sanctuarii, quatuor drachmarum, alterum communem duarum drachmarum. Quandoquidem sicli examinandi proponuntur juxta siclum Sanctuarii, non quia duplex esset siclus, sanctus unus, profanus alter; sed quia in Sanctuario vera, et prima servabantur pondera, quae ob justitiam servandam norma essent, et lex caeterorum ponderum. Hinc omnes veteres nummi multo absque negotio aestimantur, componenturque inter se, quia notum est, quota pars essent librae. Ast valor ipsorum respectu librae diversarum Regionum, nonnisi experimentis, et ratiociniis potest definiri. De valore autem nostratum nummorum nihil certi statui posse videtur, quia vel publica egestate, vel avaritia aliquando de publicorum nummorum pondere aliquid detractum est, vel aliena materia

permixta ; nunc vero ipsorum valor augetur, nunc minuitur : quod non ita erat de nummis Hebraeorum , quibus religio vetabat, aut ipsorum ponderi aliquid detrahere, aut materiam corrumpere. Multo etiam difficilius erit judicare de absoluto valore quorumcumque metallorum inter se collatorum : hoc enim negocium totum pendet ex caritate, vel abundantia ipsorum , ac saepe ex Principum arbitrio. Ex raritate auri , et argenti factum est, ut nummi permixti invenirentur in multis Orbis regionibus . Hebraei non aliis nummis utebantur, quam ex auro, aut ex argento confectis absque ulla admixtione extraneae materiae , eorumque valor erat semper idem . Sciendum tandem est pondera apud Hebraeos non fuisse ex metallo, ne aerugine possent corrumpi, et sic leviora fieri . Huc respicere videtur illud Provb. *Pondus et statera judicia Domini sunt, et opera ejus omnes lapides sacculi* (c. 16. v 11.); hoc est judicia ejus omnibus ponderibus expensa sunt .

CAPUT XXVII.

De mensuris tam cavis, quam longis, de quibus frequenter in Scripturis mentio occurrit.

OBservationibus eisdem, quibus perspecta nobis est ratio veterum ponderum, via quoque aperitur ad aestimandas veteres mensuras, cum cavas, tum longas: cognita namque

que ratione librae Romanae, et capacitas vasorum Hebraeorum, ac ita caeterarum nationum, deprehendi poterit. Scimus itaque ex Fannio supra relato, aquam, quam amphora continebat, ponderasse 80. libras Romanas; congium vero, qui erat octava amphorae pars, decem libras cepisse aquae; et ideo sextarium sextam partem congii. Apud Romanos amphora erat vas praecipuum; capiebat illa duas urnas, par tribus modiis, quibus res aridae, sive fruges mensurabantur. Urna habebat quatuor congios; et sexta pars congii dicebatur *sextarius*, dimidium vero sextarii appellabatur *hemina*. Apud Graecos metreta erat vas respondens amphorae Romanae, sed illam excedebat una urna. *Chus* Graecorum idem erat, ac congius Romanus; *Cotyla* censetur par heminae. Medimna utebantur Graeci ad mensurandas fruges.

Quam rationem haberent in se cavae Hebraeorum mensurae, explicat Scriptura ipsa; *Chomer*, qui Corus redditur in Bibliis Latinis, vas erat capacissimum, cujus pars decima dicebatur *Epha*, aequalis batho, nisi quod batho liquores mensurabantur, sicut epha fruges. *Hin* erat media *Seah*, sive *satum* erat tertia pars bathi, sive epha; *Hin* media pars sati. *Gomor*, ut Graeci efferunt, Hebraei vero *Omer*, pars erat decima mensurae epha, cabus sexta pars sati, *Log* quarta pars cabi. Sexdecim quartarii aequabant cabum, sic quartarius erat quarta pars mensurae *log*.

Non sic tamen facile est judicare Hebraeorum longarum mensurarum rationem cum extraneis, hoc est Graecorum, et Romanorum, cum nullus sit ex sacris Scriptoribus, qui illarum quantitatem definitam fecerit; aut ex Interpretibus, qui alicui certae mensurae eas coaequaverint. In sacris Scripturis omnis dimensio certo cubitorum numero comprehenditur. Ast cujus longitudinis fuerit cubitus Hebraeus, non satis constat. Certissimè Noe ex Dei jussu usus est mensura cubiti in fabricanda, et compingenda Arca, in qua salvus factus est cum familia sua. Sic Moyses in construendo Tabernaculo, et Salomon in excitando Templo Dei in Jerosolymis cubito usi sunt. An vero cubitus, quo usus est Noe, fuerit idem cum illo, quem Moyses adhibuit, et iste cum illo, quo Salomon demetitus est: id est quod definiri non potest. Ut aliquid tamen statuamus verosimilius, in memoriam revocare oportet, ubique gentium proprii corporis partibus homines usos fuisse ad longitudines dimetiendas, nempe, digitis, palmo, cubito, pede, et passu. Palmus apud Romanos constabat quatuor digitis simul conjunctis. Palma enim distinguitur a palmo; definitur namque intervallo, quod est ab articulo manus ad extremum medium digitum. Cubitus aequalis erat sex palmis, nempè 24. digitis; pes autem continebat quatuor palmos, vel 16. digitos: ita cubitus aequabat pedem cum semipede. Passum intervallum illud dicebant,

quod

quod est inter duos pedes hominis progredientis. Duplex erat passus, simplex, et major, simplex qui constabat duorum pedum cum semipede, major, qui quinque pedum erat. Sic 1000. passus majores, seu 5000. pedes faciunt milliarium. Praeter has mensuras romanas Graeci habent *Spithamam*, quae est extensio inter pollicem, et digitum minimum expansos; quem nos Hetrusci vulgò dicimus *palmum*. Spithamam habet 12. digitos, estque semicubitus. Stadium est spatium, quod Hercules uno spiritu dicitur confecisse: habet passus majores 125. qui octava pars milliarii sunt.

Apud Hebraeos mensurarum minima dicebatur *tophac*, estque quatuor digitorum conjunctorum, eaque convenit cum palmo Romanorum. *Zereth* erat mensura 12. digitorum, quae Spithamae Graecorum aequatur. Ut aliquid tandem de cubito Hebraeorum decernamus; Josephus Hebraeus ipsum facit aequalem Graeco, qui est paulò major Romano. Sunt autem qui putant, Moysen usum fuisse cubito Aegyptiorum, quem respondisse autumant 20. pollicibus Parisiensibus cum sex lineis. Quidquid autem sit de hac inquisitione: certum est, cubitum, quo olim utebantur Hebraei, fuisse 24. digitorum, prorsus romano aequalem, ac ita semicubitus par est *Zereth*. Cubitus accipi solet a cubito brachii hominis justae staturae usque ad verticem digiti medii, manu erecta.

In-

Inter mensuras Hebraeorum recensemus spatium quoque illud, quod Scriptura appellat *sabbati iter*, quod ex Doctoribus Judaeorum iter erat duorum mille cubitorum; licet Josephus illud iter faciat quinque stadiorum, et stadio adsignat 400. cubitos, quod idem est, quia forte stadium Hebraicum 400. habet cubitos, cum romanus habeat 125. passuum majorum intervallum.

CAPUT XXVIII.

De Levitis, de Sacerdotibus, de summo Hebraeorum Pontifice, deque eorum vestibus, et ornamentis.

SIcut Reges terrae suos habent ministros, qui palatium custodiunt, ipsisque regibus deserviunt die noctuque: sic Deus, ex quo inter homines publicam aliquam Domum habere dignatus est, in qua quae ad divinum cultum pertinent, publicè agerentur nempè Tabernaculum deambulans in deserto, et Templum fixum postmodum in Jerosolyma, suos sibi adscivit Ministros, qui sacri idcirco dicebantur, quia in Dei sortem, hoc est in Dei famulatum vocati sunt. Unam ad id elegit integram Tribum, et haec fuit Tribus Levi, quae, ut Tabernaculi primum, deinde Templi ministeriis tota vacaret, omnibus aliis curis soluta erat. Non omnibus tamen indiscriminatim, qui ex illa Tribu erant, commisit Deus

sa-

sacerdotalia munia, scilicet quae praecipua erant circa Dei servitium; sed iis tantum, qui ex familia Aaronis trahebant originem. Quia vero Levitica tribus cultui divino mancipata erat, sortem non accepit in terra promissionis, nec numerabatur inter duodecim tribus, quia undique per eas dispersa erat, et a quibus ex Dei praecepto decimis alebatur.

Viri Levitici generis non antea adsumebantur ad sacrum ministerium, quam a 25. anno (Num. c. 8. v. 24.); per quinque annos edocebantur circa ea quae sui erant muneris, et 30. anno idonei censebantur officiis suis obeundis (Ibid. c. 4. v. 3.). Prius autem certis, ac legitimis ritibus consecrabantur. *Tolle*, inquit Deus ad Moysen *tolle Levitas ex medio filiorum Israel, et purificabis eos juxta hunc ritum: aspergantur aqua lustrationis; et radant omnes pilos carnis suae. Cumque laverint vestimenta sua, et mundati fuerint, tollent bovem de armentis ... et offeret Aaron Levitas in conspectu Domini, ut serviant in ministerio ejus . . . Sicque purificabis, et consecrabis eos in oblationem Domini* (Num. c. 8.). Varia erant, et multiplicia Levitarum munia, quae a Principibus Sacerdotum adsignabantur per singulas familias, ut confusio tolleretur. En quod de inservientibus Domui Dei legitur (1. Paral. c. 23.). Numerati sunt tempore Davidis regis triginta octo millia Levitarum: *Et ex his electi sunt, et distributi in ministerium domus De-*

Domini viginti quatuor millia ; Praepositorum et Judicum sex millia . Porrò quatuor millia Janitores, et totidem Psaltae, canentes Domino, in organis, quae fecerat ad canendum, et distribuit eos David per vices filiorum Levi . Per vices autem ministrabant in Domo Domini tum Levitae, tum Sacerdotes, et cuique classi unus praeerat antistes, qui Princeps dicebatur. Singulis hebdomadibus una classis ascendebat Hierosolymam, et vices mutabantur in sabbato: abibat una curia, et statim ei proximè sequens succedebat, usque dum ministrarent omnes; atque ad eumdem ordinem perpetuo redibant. Diebus vero solemnibus nulla classis deerat. Princeps cujusque classis sic illam distribuebat, ut singulis hebdomadae diebus singulae familiae rem divinam facerent. Cum vere plura simul munia obeunda essent in Templo, et multis Sacerdotibus non tantum classis quaeque, sed et singulae constarent, munus, quod quisque ipsorum implere debebat, sorti committebatur: et ea qua ratione dicitur a Luca, quod Zacharias Joan. Praecursoris pater sortitus erat, *ut incensum poneret*, hoc est, ut odoramenta in altari thymiamatis incenderet. Quia vero, ut Maimonides scribit, in pavimento nudis pedibus semper ministrabant, et una tantum tunica vestiti, saepe infirmitatibus variis, viscerum praesertim dolore afficiebantur: ea de re unus erat Praefectus, qui aegrotantium curam gereret. Cantorum Levitarum 24. classes institutae fuerunt a Davide, et

288. viros cantandi peritos elegit, qui caeteros erudirent; sicque cuique classi praeerant 12. viri peritiores, alii voce, alii instrumentis cantantes.

Hoc autem modo assumebantur Sacerdotes in ministerium Altaris. In primis nulla prorsus laborare debebant macula, seu vitio corporis; quae vitia Judaei enumerant usque ad 140., 50. quae pecudes et homines, et 90., quae solos homines temerabant. Qui sic maculati erant ad Sacerdotii munus nequibant assumi, et ab Altaris ministerio prorsus arcebantur. Hi tantum in cella lignorum consistentes ligna diffidebant, quibus focus Altaris extrueretur, eaque vermibus purgabant, ne profana, aut impura censerentur. Deinde qui inventi fuerant sine macula, summo Sacerdoti sistebantur, qui eos antea bene lotos tunica linea alba induebat, quae tam strictè corpori adhaerebat, ut nulla appareret ruga. Haec ad lumbos balteo, seu fascia stringebatur; ac tandem super caput eorum ponebat Tiaram, quae erat genus pilei rotundi. Subter alba deferebant Sacerdotes linea foemoralia (Leg. Levit. c. 8.), ubi quoque integer praescribitur consecrationis ritus. Summus vero Sacerdos speciali ritu sacrabatur, ut unguentum, quo ejus frons illiniebatur, tam copiosè effundebatur, ut in barbam ejus difflueret, unde Psaltes: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron*: nullum unguentum erat isto fragrantioris odoris.

Pro-

Propriae sum. Sacerdotis vestes erant *pallium*, seu *magna tunica*, quae ab humeris fermè usque ad pedes descendebat, in cujus extremitatibus, loco fimbriae, erant 72. tintinnabula ex auro, et totidem mala punica. Tunica ista ab Hebraeis dicitur *Mehil*; haec autem vestis non linea erat, ut illa Sacerdotum, sed hyacinthina, facta, scilicet, ex pretiosa bisso, et texta serico filo retorto. Desuper erat balteus, cujus extremitates usque ad terram dimittebantur. *Superhumerale*, quod hebraice *Ephod*. In utroque humero erant duo lapides pretiosi, in quorum uno, qui erat in dextera parte, scripta legebantur nomina sex filiorum majorum Jacob; in altero, qui in sinistra, sex minorum. *Pectorale*, hebraicè *Chosen*, seu *Hosen*. Istud pannus erat quadratus, semicubiti magnitudine. In hocce quoque pectorali erant duodecim lapides pretiosi, inscripti duodecim nominibus filiorum Israel. Praeterea *Urim*, et *Thummim*; quae voces sonant *lumen*, seu *doctrina* et *veritas*. Hinc volunt nonnulli Urim et Thumim signa sacra fuisse in pectorali sum. Sacerdotis ornamento, quae *indicabant* res occultas, et futuras, erantque veluti oraculum, quatenus cum sum. Sacerdos applicabat sibi hujusmodi pectorale, res arcanas cognoscebat, et Dei consilia. Sunt autem alii, qui sentiunt, Urim et Thumim fuisse lucem, quam emittebant 12. lapides fasciae pectorali insiti, qua luce sum. Sacerdos veritatem doceretur: ita, nempe, miraculosè lapides

illi fulgebant, vel ita obscurabantur, ut fulgore, vel obscuritate veritas deprehenderetur. Sed captu difficile est, quomodo ex claritate, aut obscuritate lapidum, vel ex quacumque alia modificatione res diversae, et occultae possent indicari. Scriptura namque hanc virtutem Ephod tribuere videtur. *Applica*, inquit David ab Abiathar, *ephod, ut cognoscant, si tradent me viri Ceilae* (2. Reg.). Videtur ergo, quod Urim, et Thumim signa quaedam fuerint, seu res quaedam a pectorali distincta, quaecumque illa fuerit. Sunt qui hoc modo voces illas interpretantur, nempè quod sum. Sacerdos Ephod indutus, accepturus esset *Urim*, idest lumen, et cognitionem, et *Thumim*, perfectionem scilicet et integritatem. Ego putarem vera signa fuisse vel lapide insculpta, vel opere textorio exarata. *Doctrina et veritas*: ait namque Deus ad Moysen: *Pones autem in rationali judicii doctrinam, et veritatem, quae erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino* (Exod. c. 28. v. 30.). Tandem in ornatu Pontificio erat lamina quaedam, in qua haec verba legebantur *Codesch la Jehova*, hoc est *Sanctus Dei*. Haec vitta hyacinthina in fronte stringebatur super cidarim, sive tiaram sum. Sacerdotis (Exod. ibid.), qua dubioprocul significabatur, quod sum. Sacerdos debet esse *Sanctissimus*.

Sacerdotum munera erant sequentia, ignem perpetuo nutrire in Altari holocaustorum (Levit. c. 6.), vasa sacra custodi-

re

re (Num. c. 3.) offerre sacrificia, mactare victimas, pelles illis detrahere, concidere in partes atque lavare, aspersiones facere aqua vel sanguine super personas, victimas, et librum legis, oleres et adipes incendere, lucernas componere, panes propositionis conficere, inferre novos, auferre veteres; et in sacrificiis excipere victimarum sanguinem, eoque aspergere altare. Praeter munia caeterorum Sacerdotum, speciale munus sumi Sacerdotis erat, quod semel in anno, in die nempe expiationum, solus ingredi poterat in sanctuarium, quod dicebatur Sancta Sanctorum, ubi erat Arca Dei, ibique offerre sacrificium, quod staturum fuerat pro expiatione suorum peccatorum, et totius populi.

Quemadmodum vero Levitae ministrabant Sacerdotibus; ita Levitis ipsis dati sunt, qui ad aquas, et ligna asportandas mittebantur. Hi primum fuerunt Gabaonitae, quos Josue huic ministerio addixit. Postmodum alii ex devictis Gentibus acciti sunt, qui sub uno nomine dicebantur *Nathinaei*, quasi dictas adscriptitios, a verbo hebraeo *Nathan*, quod est *dare*.

Tempore autem, quo Levitae, et Sacerdotes in ministerio Altaris versabantur, profana tangere non poterant, a vino, et mulieribus vacabant, non aliis cibis vescebantur, quam carnibus sacris, et panibus propositionis, de Domo Dei non descendebant, et stantes et nudis pedibus operabantur. Videant novi foederis Sacerdotes, quanta pu-

ritas

ritas exquirebatur a Deo in Sacerdotibus antiquis, qui nostri Sacerdotii umbram ferebant. Videant, et contremiscant, cujus dignitatis facti sunt participes. Jam non carnes hircorum et taurorum offerunt in altari, et de carnalibus sacrificiis manducant; sed ipsum Dei Filium mactant, et veri Agni Dei carnem manducant, et sanguinem bibunt. Animadvertant, quam temere blasphemant nostri temporis Novatores, qui dolent quotidie, quod Sacerdotes Christi perpetui caelibatus lege constringantur.

Quia vero de sacris personis disseruimus hoc capite: non abs re judicamus, nonnulla adjicere de Synagogis Judaeorum, de quibus tam frequens mentio in Scripturis. Erant itaque synagogae Aedes, seu Ecclesiae, in quibus Deo colendo vacabant, et vacant Hebraei. Primum erant in Synagoga viri aetate, et sapientia senes, synagogae praesides, seu principes, Graece *Archisynagogi* dicti. Qui prior erat inter illos dicebatur ab Hebraeis *Rosch Hahahal*, nempè caput congregationis. Omnes viros literatos, sapientia, et doctrina pollentes, vocant Hebraei *Hacamim*, hoc est sapientes. His non mediocris inerat auctoritas; judicabant namque de rebus pecuniariis, furtis, damnis ec. Ad id alludit Paulus exprobrans Corinthios, quod lites suas deferrent ad judices gentium: *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?* (1. Cor. c. 6. v. 5.) Poenis etiam illi afficiebant, quos re-

rebelles legi judicabant; de quo praemonuerat Jesus discipulos suos, dicens; *In synagogis flagellabunt vos*. Praeter Archisynagogos erat unus publicus synagogae minister, qui publicè orabat, curabat de lectione legis, et conciones habebat. Hic dicebatur *Chasam*, qui idem sonat, ac speculator, inspector, custos, Episcopus. Erant praeterea in synagogis, qui eleemosynas colligerent, quibus et pauperum cura commissa erat; et hi appellabantur *parnasim*, hoc est pastores, seu gubernatores. Lex non legebatur nisi hebraice; et ideo postquam hebraica lingua desiit esse vernacula, necessarius fuit interpres, qui *Targumista* dicebatur. Doctor, qui hebraicè exponebat Scripturam, habebat interpretem tenui susurro in ejus aure mussitantem, quod ille sonora voce populo enuntiabat. Huc spectat illud Christi: *Quod in aure auditis, praedicate super tecta* (Matth. c. 10. v. 27.) Synagogae tandem erant etiam loco scholarum, in quibus discipuli studebant, sic dispositi, ut in subselliis sederent sapientes, infra vero eorum pedes discipuli; sic Paulus dicebat, se ad pedes Gamalielis doctum esse legem.

CAPUT XXIX.

De falsis Numinibus, de quibus apud Scripturas quam frequens mentio.

UNum Deum esse absolutum, potentem, perfectissimum, Coeli et terrae Creatorem

rem, et Gubernatorem, a quo bona cuncta procedunt, et mala, poenaeque, quibus impii meritò cruciantur, proficiscuntur, ipsa natura docet; haec enim est idea, seu opinio a Deo ipso humanis indita animis. Ast corruptio, et ignorantia super homines per peccatum inducta, hominum malitia, et malorum Angelorum invidia sensim perdere fecerunt veri Dei cognitionem, et ad Idololatriam perduxerunt genus humanum. Hinc factum est, quod honos, qui soli Deo debebatur, inutilibus, et inanimatis rebus praestaretur. *Etenim vani homines*, inquit Auctor lib. Sapientiae, *de his, quae videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui est; neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, aut lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum si specie delectati Deos putaverunt, sciant quantò his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia constituit* (C. 13.). En corruptae hominum naturae lacrymabilis consequentia, ut in iis, quae utilia experiuntur, divinitatem ipsa effingat, et pro Deo vero colat creaturas. Subdit autem idem Sapientiae Auctor: *Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem, et illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere caepit, et constituit inter servos suos sacra, et sacrificia. Deinde interveniente tempore, convalescente*

ini-

iniqua consuetudine , hic error tamquam lex constitutus est , et Tyrannorum imperio colebantur figmenta (C. 14. v. 15.). Et en quomodo sub initio inventa est Idololatria , ac postmodum regum , et Imperatorum freta potentia , totum infecit humanum genus , et quasi orbis universi effecta est sola religio , ope praesertim daemoniorum , qui aegrè ferentes , ut homines naturae tam inferiores coelestes illas occuparent sedes , e quibus ipsi pulsi fuerant , et ad tartara detrusi , primum ad peccandum illexerunt , deinde nacti occasionem , tum ex ambitione Principum , tum ex errore vulgi , falsas promoverunt religiones , usi potestate sua , cui homo subditus est peccando . Divinos honores suffurati sunt sibi , et idolis , quae colenda proposuerunt hominibus : quare regius Psaltes conquerens de Judaeis , ait : *Immolaverunt filios suos , et filias suas daemoniis* ; qui non quidem scientes , et volentes colebant daemonia ; sed quia sub nomine Moloch daemonia sibi exigebant ab illis divinos honores .

Ex omnibus ergo Gentibus cum unam Nationem , nempè Hebraeorum sibi elegisset Deus , in qua cultum , et regnum haberet ; hoc unum grande primum fecit mandatum : *Unum Deum coles : non habebis Deos alienos* ; quod tamen nunquam servare potuit gens Hebraea , quae erga sensibilia rapta , Dei sui quam frequenter obliviscebatur . Ut itaque quae de idololatria Hebraeorum dicturi sumus , plenius intelligantur ,

scire

scire primum oportet, decem nominibus hebraica lingua Deum enunciari (Ex Hieronymo Epis. ad Marcellam). 1. erat nomen *Jehova*; quod idem sonat, ac sanctum, et ineffabile, quod est proprium Dei nomen. Ast a prolatione divini Nominis abstinuerunt Israelitae, postquam homunculus de vulgo Dei nomen blasphemasset in deserto, propter quod et lapidatus est; et illud tantum proferebatur in Templo a Sacerdote, dum solemni ritu benediceret populo. Hujusmodi nomen primum, et maximum *Jehova*, dictum *tetragrammatum*, quia scribebatur quatuor hisce literis hebraicis *Jod*, *he*, *vau*, *he*, ore non proferebant Hebraei, vel ex aliqua Dei lege, vel ex religioso timore, ne ex quotidiano usu vilesceret, et nimis leviter, et profanè usurparetur. Et hoc est illud nomen, de quo dicitur Apocal. (C. 9. v. 12.): *Habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse*, hoc est Deus. Nomen, quod, ut in Exod. ipse Deus Moysi dixit, neque Patriarchis indicavit aliquando (C. 6. v. 3). Eversis tandem templo Dei, et urbe Hierosolyma, totoque Mosaico cultu deleto, pronuntiatio sancti Nominis periit, et notitia deleta est. Quare et ipsi 70. Interpretes pro *Jehova* vertunt *Adonai*, quod est Latinis *Dominus*. 2. Dei nomen est *El*, hoc est *fortitudo*. 3. est *Elohim*, quod derivatum videtur ab *El*. Nomen istud communicatum est Judicibus, et Angelis, quatenus isti vices Dei agunt, judicant, absolvunt, puniunt, damnant. 4. est

Elohe

Elohe, quod solo numero differt ab *Elohim*, quod est in numero plurali. 5. *Izabaoth* propriè denotans *aciem ordinatam*; ita Deus *Izabaoth* est Deus virtutum, seu exercituum, ut intelligatur potentior potentissimis illis regibus, quibus magni exercitus parent. 6. *Elion*, hoc est *excelsus*, *supremus*. 7. *Eheie Ascher Eheie*, nempe, *ero qui ero*, sive *sum qui sum*. 8. nomen *Adonai*, quod, ut paulo superius diximus, idem est ac *Dominus*. Nam hujus nominis puncta vocalia fuerunt subjecta magno Dei nomini tetragrammato; unde in Graeca versione, ubi occurrit, legitur Kyrios, latinè *Dominus*. 9. est *jah*, quod videtur factum ex *Jehova*. 10. *Saddai*, nempè *sufficiens sibi*, quia proprium est divinae Majestati, ut nostris non indigeat, suis opibus dives. Inter Dei nomina Judaei quoque accensent *Hamacum*, hoc est locus, quia sibi ipse locus est, est in omni loco, et ullo non loco continetur.

Cum in Scripturis de falsis numinibus sermo fit, de iis nempe creaturis, quae pro Deo colebantur, quandoque ea appellant *Eloim*, quod est unum ex decem veri Dei nominibus; ea tamen saepius contumeliosis nominibus appellantur, quae illis magis conveniunt, nempè appellantur idola, imagines aere, auro, argento, aut lapide conflatae, vel sculptae. Nihil enim aliud sunt, nisi figmenta. Respectu autem ad effectus dicuntur *molestiae*, *dolor*, *infirmitates*, *pudor*: sic David: *Multiplicatae sunt infirmitates eorum*

Psal.

(Psal. 15. v. 4.) pro *multiplicati eorum Dii*, *multiplicata idola*. Refugiebant Hebraei propria eorum nomina suo ore pronunciare: quare idem David ibidem: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*. Qua de re consulto utebantur alienis nominibus, vocantes *Elil*, hoc est nihil. Quod et Paulus fecit ad Corint. 1. c. 9. v. 4. *Scimus quia nihil est idolum in mundo*, quasi dicat, *omnia idola sunt nihil*.

Tres praecipuae enumerantur ab Hebraeis idololatriae species. Prima qua ad Angelos transfertur cultus, qui soli Deo debetur. Secunda, qua universae militiae coeli sese homines incurvant, scilicet, colentes solem, lunam, aliaque sydera caelestia. Tertia, qua coluntur diaboli, sive in se, sive in figmentis, et idolis. Sunt qui plures alias enumerant idololatriae species, quas inter cultum figurarum, et imaginum, quae nunc *Talisman* vocantur, certis horis conflatarum, unde virtutem accipere putabant. Hujusmodi figurae in Scripturis vocantur *Teraphim*, ex quibus, ut putabatur, prodibant signa rerum futurarum, et penes quos erant, vel in visione, vel in somniis docebantur, quae ventura erant. De hisce Theraphim loquitur Jud. C. 17., ubi de Micha dicitur: *Aedificium quoque in ea* (*in domo sua*) *separavit*, *et fecit Ephod*, *et Theraphim*, *idest vestem sacerdotalem*, *et idola*, *implevitque unius filiorum suorum manus*, *et factus est ei sacerdos*. Item Cap. 3. Osee, v. 4. Et ubi in Vulgata apud Ezech.

Ezech. (C. 21. v. 22.) legitur, quod Rex Babylonis *interrogavit idola*, in fonte scriptum est *interrogavit Theraphim*. Et Zachariae (C. 10. v. 2) *Simulacra locuta sunt inutile*, in fonte *Theraphim locuta sunt falsa, inania*. Etiam divinatio accensetur inter species idololatriae. Erant enim qui mortuos, eorumque ossa colerent, et quaererent ab eis futura. Qui hoc modo futura scire conabantur, vocabantur *Ijedoni*, hoc est, *sciens, ariolus*; quandoque *ob*, quod nomen proprie significat *utrem*, et Interpretes illud reddunt Pythonem. Ita Apollo falsum numen Graecorum dicebatur *Pythius*: inde mulieres, quarum ore Apollo, hoc est daemon in simulacro cultus, responsa dabat, appellabantur *Pythonissae*, graece *Ventriloquae*, quia a proprio ventre, et quandoque ab axillis loquebantur submissa voce, quae egredi videbatur ex telluris cavitatibus, aut de longinquo venire. Unam puellam ex his a malo spiritu Pythonis, hoc est divinationis, seu arioli, liberasse Paulum, refert Cap. 16. Act. v. 16. En quomodo Maimonides falsa responsa Pythonum describit C. 6. n. 2. de Idolis: *Cujusmodi est illud opus Pythonis? Ille offert certum suffitus genus, et manu sua vibrat virgam mysticam, ac recepta quaedam incantationis verba profert. Mox consulit alium, quasi loquentem secum, et interrogatis respondentem e terra, voce submissa admodum, quam auribus percipere non valeat, sed cogitatione tantum assequatur. Similiter est,*

qui

qui cranio mortui arrepto, illud suffitu imbuat, et incantet, donec praeeuntem audiat vocem admodum submissam, quae exeat ex illis, et respondeatur ei. Hujusmodi omnia sunt Pythonica. Quibus malis artibus, ut nemo non videt, multae fraudes subesse poterant, quibus Pythones sibi conciliabant fidem, etiam apud Judaeos, quod illis exprobrat Isaias (C. 8. v. 19.)*: Et cum dixerint ad vos, quaerite a Pythonibus, et a divinis, qui strident in incantationibus suis*, sive juxta aliam versionem, *qui pipiunt, et mussitant*. Scimus, ipsum Saulem reg. per Pythonissam quaesivisse a mortuo Samuele, quae esset futura sors belli, quod gerebat adversus Philisthaeos.

Altera quoque erat idololatriae species *Nahas*, hoc est, *conjectatio*, *augurium*; erant namque, qui ex rebus quae fortuito eveniunt, de futuris judicabant. De hac loquitur Ezechiel: (C. 21. v. 21.) *Stetit enim Rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quaerens. Commiscens sagittas ec.* Hujusmodi sagittae, ut explicat D. Hieronymus, inscriptae erant nominibus diversarum Civitatum, et quae prima ex arcu exibat sagitta, inscripta nomine talis civitatis, ostendebat eam primum esse oppugnandam. Alii pro sagittis utebantur baculis, seu virgis, et dicebatur divinatio per virgas. Haec valde usitata erat apud Orientales, ut de Medis legitur in Fragmentis Dionysii. Isthaec auguria insectatur Osee

C.

(C. 4. v. 12.): *Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus ejus annuntiavit ei; spiritus enim fornicationum decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo*. Cum enim aliquod magni momenti negotium esset peragendum, ex. gr. aut iter suscipiendum, aut ducenda uxor ec., virgas ponebant, et includebant vasculo certis notis inscriptas, et prout has, aut illas educebant, inde captabant auguria.

Posthaec enumerare tandem oportet nomina diversorum Numinum, de quibus sermo in sacris Codicibus; quod ordine Alphabetico perficiam. *Aaronis vitulus* idolum fuit, quod sibi conflare voluerunt Israelitae in deserto, ad similitudinem illorum, quae adorabant Aegyptii. Praecipuum enim idolum Aegyptiorum vocabatur *Apis*, habens formam bovis. Horum vitulorum simulacra duo, unum in Bethel, et alterum in Dan constituit Rex Jeroboam, ut a Templo Hierosolymitano avocaret Israelitas (3. Reg. C. 12.). *Adad*, quod ex Macrobio est nomen *solis*, qui est unus. *Assyrii Deo* (inquit ipse) *quem summum, maximumque venerantur*, Adad *nomen dederunt*. Ejus nominis interpretatio significat *unus*. Nomen *Ada*, seu *Adad* dabatur etiam cuipiam numini: in codice autem Latino Adad pro Deo non reperitur, sed solum in fonte Hebraeo (Isa. C. 66. v. 17.). *Adonis*, quod et *Thamuz*, seu *Thamua* idolum erat Aegyptiorum, quod et Israelitas coluisse conqueritur Ezechiel (C. 8. v. 14.). *Thamua* in Hebraeo Vulgata vertit

tit *Adonidem*, et ipsum Adonidem vocant Aegyptii, atque Phaenicii. Thamuz dicitur esse Osiris R. Aegyptiorum a Tiphone interfectus, quem amissum quotannis in Aegypto defleri Isis uxor conata est. Haec mulier suis praestigiis, et incantationibus tantam sibi et marito conciliavit auctoritatem apud Aegyptios, ut pro Diis haberentur, et mense quarto colerentur. *Adramalech*, hoc est *Moloch*, seu *Melech*, quandoque *Milchom*, et *Malchum*, Deus erat Ammonitarum. Hoc idolum coluerunt Hebraei, per ignem ante ipsum traducentes filios, et filias suas, sive per medium duarum pyrium eos transire facientes, ut volunt Judaei; ut hoc modo purgarent, sive quia eosdem vere mactarent, et comburerent, ut David non obscure innuere videtur (Ps. 105. v. 37. et 38.): *Et immolaverunt filios suos, et filias suas Daemoniis, et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum, et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan*. Rabbi Jalkut in Jeremiam de Moloch scribit: *Quomodo Moloch factus erat? Erat statua aerea, habens faciem vituli, et manus expansas, instar viri palmas aperientis ad aliquid ab alio accipiendum; ignem in eam subjiciebant; excavata enim erat*. In valle Hinnon erat locus excelsus, *Tophet* dictus, in quo haec inhumana sacrificia agebantur. *Toph*, hoc est tympanum, quia tympanis strepebant, ne ululatus filiorum incensorum a parentibus audirentur. Hunc locum contami-

na-

navit Rex Josias, et vocatus est deinceps *gehenna*, hoc est *Infernus*, quasi dicas locus *gemitus* ac rugitus aeterni in cruciatibus, et igne perpetuo. Idolum *Moloch*, cujus nomen commune erat multis gentibus, verosimile putatur idem fuisse, *Melech*, et *Molech*, *Adramelech*, et *Anamelech*; et tantum Gentes diversae ad distinctionem addebant pronomina, ut *Adramelech* vox composita ex *Adir*, hoc est *magnificus*, *Moloch* autem sonat regem, hinc *Rex magnificus*; *Melech* et *Anamelech*, *rex opulentus*; haec erant inter idola Assyriorum. *Gani*, sive *Ani* sonat divitem, ut Vossius observat. *Asima* idolum erat filiorum Emath, quod nempe sibi fecerunt Hamathitae (4. Reg. c. 17.). Quale fuerit illud, adhuc ignoratur. Hircum fuisse putant nonnulli. *Asmodaeus* est malus Daemon, de quo sermo est apud Tobiam, qui septem Sarae conjuges interfecerat. Nullibi autem legitur cultum fuisse ab hominibus. Asmodaeus hebraice idem est ac *destructor*, sive *interfector*. *Astaroth*, vel *Astarte* Deus erat Sidoniorum, et Philisthaeorum. Hoc nomen denotat gregem; unde putant quidam ovis formam habuisse, nempe sub specie ovis illud colebant simulacrum. Lucanus, et alii testantur Deam Astartem haud ignotam fuisse Graecis, qui lunam intelligunt. Cicero dicit esse Venerem. Luna appellatur Venus, quia Venus etiam in Graecorum scriptis dicitur *Urania*, idest coelestis; nisi nomen illud veniat ab hebraeo *Ur*, hoc est *lux*. Cer-

:e Jeremias exprobrat (C. 7. v. 18.) Judaeis quod facerent placentas *Melechet Hasamain*, scilicet reginae Coeli , quae judicio Gentilium luna est .

Baal idem est hebraeis , quod Latinis *Dominus* . Nomen ergo Baal commune est omnibus diis Gentium ; sed quoniam illis plures erant Dii , ad distinctionem subjungebant aliud nomen , ut *Baalphegor* , *Beelzebub* : ex Baal enim hebraeorum factum est *Beel*, et contractè *Bel* , unde *Belus* , quem antiqui Assyrii solem designabant, quem item Beelsamen dicebant , idest *Dominum Coeli* . Sed Belus, ut alibi diximus, est etiam primus Babiloniorum Rex, idem ac Nembrod, quem Babylonii coluerunt, et pro Deo habuerunt, ut mos erat primos reges Deos putare. Nomen Baal in lingua hebraica significat *maritum, seu conjugem*; et quia Deus sibi veluti conjugio sociaverat congregationem Israelis, quoties illa ad Baal, hoc est ad idola declinabat, fornicaria censebatur. Quare Deus apud Osee (C. 2. v. 16.), promittens se revocaturum prius repudiatam Israeliticam Ecclesiam, ait: *Et erit in die illa , ait Dominus , vocabit me vir meus , et non vocabit me ultra* Baali : idest *vir meus* , et non *Baali* , nempe *maritus meus* , quia Baal erat *idolum et maritus* . *Baalberith* idolum erat Sichemitarum, ut patet ex Cap. 9. Judicum. Nomen Berith idem est hebraeis, ac latinis foedus : ita Baalberith est *Deus foederatus* . Ideo de Israelitis dicitur (Judic. c. 8.) postquam re-

ces-

cesserunt a Deo *percusseruntque cum Baal faedus, ut esset eis in Deum*. *Baalpheor*, vel *phegor* Deus erat Moabitarum, et Madianitarum. Vox *pheor*, seu *phegor* substrata voci Baal, quae jam intellecta est, vox est turpitudinis in Hebraea lingua; cujus autem turpitudinis, teste Origene, ipsi Hebraei erubescunt dicere. S. Hieronymus dicit Beelphegor posse latinè appellari Priapum, ut revera Priapi nomen in Vulgata (3. Reg. c. 15. v. 12.) Priapus autem idolum erat turpissimum, quod casti oculi nec auderent *aspicere*, nec aures pudicae formae ejus descriptionem audire. Nec nobis curiosius inquirendum. *Baal Zebub*, *et Baalzebub* Deus erat Philistinorum, et *Zebua* nomen significat *Muscam*. Idolum istud colebatur, ut abigeret muscas, quale fuit quoddam Jovis idolum apud Graecos. A Judaeis dicebatur, forsan ad ignominiam, *Deus stercoreus*. Videtur potius a Philistaeis, seu Phoenicibus appellatum *Beelsamain*, idest *Dominus coelorum*. In novo Testamento nomen *Beelzebub* metaphoricè per contemptum tribuitur diabolo. *Baalzephon* alii putant nomen regionis, alii idoli, quod colerent Aegyptii.

Castores, Castor, et Pollux duo filii Jovis dicebantur, graecè appellati *Dioscori*, de quorum nomine apud Graecos cognominatus erat mensis, qui allegatur in 2. l. Machab. c. 11. v. 21. Navis, quam Paulus conscenderat ex insula Melitae navigaturus in Siciliam (Act. c. 28.) erat *Insigne Castorum*,

nempe ejus puppi apposita erat figura *Dioscorum*, *Castoris* scilicet et *Pollucis*, quae erant duo numina Gentilium. *Chamanim* erat idolum solis, vel ignis; *Chama* etenim hebraeis calor est, vel ignis. Aliis videtur idola illa fuisse statuas subdiales, quasi solares, vel soli expositas, quae ponebantur super aedium tecta, et quia soli expositae *Chamanim* dicebantur. De Arabibus Strabo sic loquitur: *Solem colunt, ara super domum excitata, et quotidie in ea libant, et thus adolent.* Alii autem volunt, Chamanim fuisse aedes, vel sacella ad cultum solis parata. Nomen vero illud a vulgato Interprete (Levit. c. 26. v. 30., et Isa. c. 27. v. 9.) redditur *simulacra solis*, et saepius tantummodo *simulacra*. Judaeos solem adorasse narratur 4. Reg. c. 23. v. 11., ubi de rege Josia dicitur: *Abstulit quoque equos, quos dederant Reges Juda soli. Currus autem solis combussit igni*. Et sub hoc nomine solis, volunt quidam cultum Juppiter, qui et *Ammon*; nam originem trahebat a nomine *Chama*, quod et pronuntiatur *Ama*, idest calor. *Chamos* erat Deus Moabitarum. Chamos venit a particula *Caph*, quae hebraicè indicat similitudinem, et a verbo, quod sonat *contrectavit, palpavit*. Chamos, inquit Philo, *quasi palpatio*, quod proprium est non videntis, sive caeci. *Chium*, vel *ciun* putatur fuisse idolum Aegiptiorum. Legitur namque in Amos (*c. 7. v. 45.*). *Et portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem;* et in fonte Hebraeo

chium

Chium redditur ab Interpretibus *imago*.

Dagon Deus erat Philistaeorum. Nomen hujusmodi derivari potest a *dagan*, *frumentum*, sive a *dag*, *piscis*. Si Rabbinis fidem praestare velimus, Dagon a parte inferiori usque ad umbilicum erat piscis, ab umbilico cum parte superiori homo erat, sic semipiscis. Syrii pro Diis pisces habuisse testatur Cicero.

Diana, quae, ut in Actis dicitur, magnificum Templum habuit Ephesi, erat Luna.

Gad idolum Syriorum; Gad hebraice intelligitur *fortuna bona*; nam vulgatus Interpres sic ait, Gen. C 30. v. 9. *Sentiens Lia quod parere desiisset, Zelpham ancellam suam marito tradidit. Qua post conceptum edente filium, dixit: feliciter; et idcirco vocavit nomen ejus Gad*. Sed vox ista *Gad* denotat etiam quoddam sydus, ut docent Hebraei.

Hercules. Numen istud colebatur a Tyriis, quod et Judaei per vicinia coluerunt. Legitur enim (2. Machab. C. 4.). *Misit Jason facinorosus ab Jerosolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis*.

Mercurius, unus ex Diis Gentilium, qui fingitur Jovis nuncius, interpres, et viarum praeses, ut errantibus viam demonstret. In Actis Apostolorum Gentiles *vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi*. Mercurii nomen habetur etiam in Provb. (C. 26. v. 8.). *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii; ita*

cui

qui tribuit insipienti honorem. Quid sit acervus Mercurii, dicam breviter. Erant apud Gentiles lapidum acervi Mercuriales in viis publicis, et compitis ad itinera demonstranda congesti, quos viatores transeuntes jactu lapidum augebant in honorem Mercurii: quare a sacro hujusmodi, ac idolatrico cultu Mercurii acervi dicti sunt. Sicque dicere vult illum, qui honoribus cumulat insipientem, tantumdem facere, ac si mercurialem acervum augeat manu sua. *Merodach* nomen quidem regis Babyloniorum est, sed fuit etiam idolum, hoc est ipsemet Merodach cultus, ut Deus.

Nabo, sive *Navo*, nomen erat loci, et idoli. *Confractus est Bel*, inquit Isaias C. 41. v. 1. *contritus est Nabo*: *facta sunt simulacra eorum bestiis, et jumentis onera*. Nempe cum Babylon magna cecidit sub armis Medorum, ac Persarum, Babyloniorum idola aerea confracta sunt, ac veluti praeda alio asportata. *Nabo* hebraeis est *prophetia, divinatio*. *Nergal*, *Nisroch*, *Nibchas*, *et Thirthak*, Dii sunt, quos Samaritae populi secum asportaverunt, cum in Babylonem a Salmanasare Rege captivi adducti fuerunt: *Viri autem Cuthaei fecerunt Nergel, et viri de Emath fecerunt Asima. Porrò Hevaei fecerunt Nebahaz, et Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharvaim comburebant filios suos igni Adramelech, et Anamelech* (4. Reg. c. 17.).

Raiphan, seu *Rephan*. Vide *Chium Remmon* vel *Remnon*, numen fuit Syriorum, cui di-

dicatum erat templum. Vox illa derivari potest a *Rom*, quod est *altitudo*; ita Remnon idem est quod *Excelsus*. Dei namque notio ita animis humanis innata est, ut quod pro Deo colitur, etiam excelsum reputetur. Alii pronuntiant *Rimmon*, quod significat *malogranatum*, quorum in Syria ingens copia, et magnus usus, ex quibus etiam exprimebatur mustum ad bibendum suave. Quare ob magnam utilitatem, quam ex illis capiebant: probabile est, quod quodpiam idolum diceretur Rimmon, quemadmodum apud Philistaeos Dagon appellabatur a frumento, et apud Graecos, et Latinos Ceres reputabatur Dea frumenti, et segetum.

Sesach, quem Vulgata appellat Regem *Sesach* in Jeremia (c. 25. v. 26.), numen erat apud Babylonios juxta Saldenum.

Haec sunt, mi Lector, quae ad aperiendam Sacrarum Scripturarum intelligentiam tibi quam brevi calamo concinnavi. Multa alia profectò utilia non tantum, sed fortè etiam necessaria conscribenda forent; sed ne nimium excrescat Apparatus noster: haec tibi sufficiant; quae sufficient equidem, si in Scripturarum amorem animum intenderis, nec labori peperceris; et hic meus, inquam, Ariannae filus ex omnibus Scripturarum latebris in apertum campum te facile adducet. Animadvertas tandem velim, ad ethymon nominum linguae sanctae, quae hic libenter conscripsissem, nisi in calce sacrorum Bibliorum apposita, et explicata sine labore tu ipse reperire potuisses.

LIBER SECUNDUS

DE IIS QUAE AD THEOLOGICAS FACULTATES POSSIDENDUM SPECTANT.

CAPUT I.

Theologiae ethymon, ac definitio.

PRima nostri Appatatus parte quomodocumque expleta, alteram aggredimur, in qua elucubranda quaeremus primo: quaenam fuerit Theologia priscorum hominum usque ad Legem per Moysem datam Hebraeis. Secundò quaenam Hebraeorum Theologia usque ad Christum natum. Tertio demum ad nos usque descendentes per saecula Christianorum Theologiae dignitatem amplitudinem, profectumque contemplabimur. Interim ab ipsius nomine atque definitione sumimus exordium.

§ 1. Theologiae nomen ex duplici vocabulo Graeco Theos, et Logos conflatur, quod Latinè redditum idem prorsus est, ac *Sermo de Deo*. Definitur autem Theologia: *Rerum divinarum, earumque, quae ad supernam hominis felicitatem pertinent disciplina*. Dicitur *disciplina*, quia convenit in hoc cum Philosophia naturali. Additur *rerum divinarum* ec., et in hoc a Philosophia discriminatur, quae non revelatione acquiritur, sed rationis ductu, neque ipsa aeternam parit fe-

felicitatem. Bona est ergo definitio isthaec, utpote quae genere constat, et differentia.

Nota. Theologiae nomen in nullo Scripturarum loco reperitur. Qui illud omnium primus adinvenit, fuit S. Dionysius Areopagita in suo de divinis Nominibus Libro. Ab eo igitur traditum, et ab omnibus deinceps ubique receptum, amplius non licet illud vel respuere, vel immutare. Hinc factum est, ut antiqui Philosophi, et Poetae, et quotquot de religione, quantumvis falsa, hoc est de rebus ad Divos spectantibus, tractarunt, Theologi appellarentur, ut S. Clemens Alexandrinus scribit.

§. 2. Licet autem una tantum sit revelata Theologia, de qua in praesenti nobis sermo est: pro diversa tamen ratione, qua a Theologis pertractari consuevit, multipliciter partitur. Si namque sensum pervestigat sacrarum Scripturarum, atque ex his salutis doctrinam haurit, vel traditionem insectatur, ut nobis quid credendum, quidve agendum sit, exponat, dicitur *Theologia Exegetica:* Si quae tenere firmiter debemus ex Scripturis, et Traditione colligit, et in unum velut corpus congerit, et ordine disponit, vocatur *Theologia Dogmatica*, sive *Positiva* sive *Thetica*: Si fidei dogmata, vel decreta adversus hostes oppugnat, defendit, munitque rationibus, appellatur *Theologia Polemica*, seu *Elenchtica*: Si tandem ex Scripturis ipsis, et Traditione praecepta componat, et regulas, quarum ad normam humanae actio-

nes

nes conformentur, dirigantur, tunc *Theologia Moralis* nuncupatur. Porrò quae Fidei sunt, et a nobis credenda, *Dogmata*; quae vero morum, et a nobis agenda, *Canones* a Theologis dicuntur. Verumtamen si Dogmatica Theologia ea omnia, quae ad consequendam aeternam felicitatem conducunt, recta methodo, et ordine disponit, accurate et firma ratione confirmat, roborat ec. *Sisthematica Theologia* appellatur, sive *Aeromatica*: Sin vero rudimenta quaedam nostrae Religionis tantummodò proponat, et explanet, debito non servato ordine, et nexu, vocatur *Catechetica*, seu *Exoterica*, quae rudioribus Fidei aperit decreta.

CAPUT II.

De Theologia priscorum hominum.

§. 3. JAm vero Theologiam, prout cum religione, et revelata fide confunditur, ab Adami creatione ad haec usque tempora extitisse in mundo tenendum firmiter est. Siquidem Deus Parentes nostros statim a creatione, ut ex sacris Literis haud obscurè colligitur, sui ipsius cognitionem, cultumque, quo vellet coli, nec non ea omnia, quae ad aeternam felicitatem perducunt, abunde satis edocuit, eò praesertim quia semel traditam religionem filiis suis praedicare postmodum debuissent. Post vero inobedientiam suam, ut ipsos quodammodo solaretur, re-

revelavit iisdem, ut certo tempore mitteret in mundum carne circumdatum Filium suum Unigenitum, ut homines a mortis laqueis, quibus seipsos implicuerant, liberaret, et ab inferis iterum reduceret ad coelestia. Quibus sanè praeceptis filios, posterosque suos Adam instruxit, ut innocens vita, ac probata pietas sanctissimorum virorum Abelis, Sethi, Noachi, Semi, Noemi, Japheti, aliorumque suadent; et patet ex Geneseos c. 18., et ex Apostolo ad Rom. 4.

§. 4. Estò autem fermè sub initio sanctissima priscorum religio depravari caeperit in Cainitarum familia, qui, ut nonnulli pùtant, etiam Dei cultum per idololatriam mutarunt, corruperunt sacrificia, ipsumque negarunt Messiam futurum (legatur Spanhemius his. Eccles. T. 5. p. 279., et Vossius de Idolol. l. 1.), quique insuper secundum alios, ut Jurius (his. Crit. des. Dog. pàr. 3. c. 2.), et Buddaeus (his. Eccles. T. 1. p. 125.) testantur, in atheismum prolapsi sunt: attamen eadem prorsus revelata religio fuit priscis illis hominibus immutata tàm ante, quam post universale diluvium. Testes nobis sunt Abrahamus, Isaacus, Jacobus viri sanctissimi, atque Prophetae, qui suae conversationis disciplina majorum suorum placita esse amplexatos ostendunt. Unum his prae caeteris fuit, quod Deus sive pro deletione originalis culpae, sive pro signo quodam distinctionis Circumcisionem tradiderit pro masculis tantum; foeminarum vero mundanda-

rum

rum remedium traditione servabatur : quod remedium pro utroque sexu ante diluvium, et post Circumcisionem Abrahamo datam pro faeminis in quo consisteret, non satis exploratum est (legat. Greg. M. Moral l. 43. c. 3.): creditur in fide venturi Messiae fuisse illud repositum.

§. 5. Tota vero priscorum hominum religio, si Judaeorum Magistris fides adhibenda sit, sex his juris naturae praeceptis continebatur: nempè 1. De cultu extraneo, seu de Idololatria. 2. de maledictione divini Nominis. 3. de homicidio, et effusione humani sanguinis. 4. de illicito concubitu. 5. de furto. 6. de Judiciis. Et haec, dicunt, ab exordio mundi a Deo tradita fuisse. His addunt septimum, quod Deus dedit Noemo, scilicet de membro animalis non comedendo. Et haec septem vocantur praecepta Noechidarum, hoc est omnium gentium, quae a Noecho sunt derivatae, Hebraeis exceptis, qui nominantur Abrahamitae. Ita Maimonides (in Halach mulachim, c. 9.) et Saldenus (de Jure nat., et Gent. l. 1. c. 9.).

§. 6. Factum est autem, ut haec religio circiter an. 200. post diluvium sensim caeperit deperire propter Idololatriam. Sub id namque temporis usus invaluit, ut planctae, elementa, atque homines virtute praestantes pro diis colerentur. Hujus tam execrabilis facinoris, ut jam alio loco innuimus, primus Auctor fuit Ninus, qui Belo patri suo templum, et simulacrum consecravit. (De origine

gine Idolol. legat Lector Calmeti Dissert. hoc titulo expòsitam) . Ob hanc caussam parva admodum effecta est Ecclesia Dei : quare Deus ipse, segregato a Gentibus Abraham, in ipso populum sibi elegit , cui crederet divina eloquia , et a quo debitum sibi cultum posset exquirere,

CAPUT III.

De Hebraeorum Theologia.

§. 7. POpulo igitur ex Abrahae lumbis egresso , praeter Circumcisionem, triplicem legem tradidit Deus in Sinai monte, naturalem, sacram, et politicam. Prima Decalogo continetur, in quo naturae praecepta ad decem capita revocantur , quorum tria priora exhibent officia erga Deum , septem vero posteriora officia erga homines demonstrant. Secunda lex ritus omnes , et caeremonias, quibus peragenda sunt divina, adamussim exponit. Tertia formam Reipb. ostendit, et leges, seu poenas singulis flagitiis decernit, ut publica Hebraeorum res tutò servaretur, ac diu. Lex naturalis describitur Exod. c. 20., Judicialis a 21. usque ad 23., sacra a 25. usque ad 30. Sed de iis agitur quoque in Levitico , ubi etiam alia adduntur judicialia, et moralia praecepta . Et altius res tota repetitur in Deuteronomio (lege lib. 1. a cap. 5 usque ad 9.) . Et haec est illa famosissima lex vetus innume-

merabilium praeceptorum ; ut eam vocat Augustinus, eo quod populo durae cervicis convenienter imposita. Hebraei namque totam Mosaicam legem sexcentis, ac tredecim praeceptis comprehendi affirmant: quorum 248. affirmativa sunt, sive jubentia, juxta numerum membrorum corporis humani, quae tot esse dicunt Rabbini, alia 365. negativa, seu prohibitiva, juxta numerum dierum anni solaris, vel, ut volunt alii, juxta numerum venarum, quae sunt in corpore humano. Hinc jure merito de hac lege ait Apostolus Petrus Judaeos alloquens: *Neque patres nostri, neque nos portare potuimus* (Act. c. 15. v. 10.). Et Paulus eam appellat *legem mandatorum* (Ad Ephe. c. 2. v. 5.).

§. 8. Arbitrati sunt nunnulli, Adamum, ceterosque Patriarchas libros aliquos ante Moysis tempora scripsisse, in quibus plurima Theologiae capita continerentur. Verumtamen, ut Sixtus Senensis ostendit (Bibliot. lib. 2) id absque ulla ratione asseritur, et ante Moysem frustra quaerunt eruditi corpus aliquod Theologiae. Tota igitur eorum religio non scripto, sed sola traditione servabatur; idcircò dicta lex *oralis*, quia oretenus ad posteros transmittebatur. Post Moysen vero multi alii scripserunt, ut ex variis libris, quibus constat Vet. Testamentum, apparet. In nullo tamen horum librorum exactum Theologiae compendium, aut systhema, poterit quis adinvenire. Etenim Compendium illud dicimus, in quo omnia
ad

ad aliquam disciplinam spectantia, stricte quidem, et summatim, sed distinctè, et ordine exponuntur. Systhema vero illud est, in qua singula ita nectuntur, ut alia ex aliis ordine fluant, et rationibus confirmentur. Ceterum divini Scriptores, qui vel dogmata, vel m rum praecepta scripta reliquerunt, non equidem aliquod Theologiae epithomen tradiderunt, aut systhematica methodo sunt usi; sed nonnulla hinc inde sparsa docuerunt Orientalium more, qui parabolis, methaphoris, ac similitudinibus ex rebus sensibilibus desumptis omnia aperiebant, explicabantque, ingenioso illo quidem, et vehementi, sed satis obscuro dicendi genere, ut cuique legenti illicò patet. Utinam tamen Theologia Hebraeorum, quaecumque illa fuerit, diù incorrupta permansisset. Nam postquam ingressi fuerunt Israelitae in terram Palaestinorum, saepe, ut vidimus, post Deos alienos abierunt. Item post divisionem Israelis a Juda iterum inducta idololatria in populo Dei, tamdiu perseveravit, quamdiu Israel omnino translatus est, et Juda adductus captivus in Babylonem. Et quamvis post reditum a captivitate Babylonica amplius non adhaeserint diis alienis; quam turpiter tamen Hebraeorum Magistri suam ipsorum religionem corruperint, infra videbimus.

§. 9. Quandoquidem cum post obitum Malachiae ultimi inter Prophetas desiisset prorsus inter Hebraeos affatus divinus, nec ipsi deinceps consuluissent aliquando di-

vi-

vinum Oraculum, cujus in responsis plena esset fides: statim Judaei doctores proprio ingenio indulgentes, ac plena illa, et simplici majorum suorum docendi methodo relicta, controversiis innumeris, ac inutilibus quaestionibus, quas ex Scripturis sanctis eruebant, totam implicuerunt Judaeorum gentem, et religio sancta summam passa est jacturam. Initio in duas sententias capitales abierunt: nam alii praeter ea, quae in Scripturis continentur, et majorum recipiebant traditiones, et alia multa ex proprio ingenio addebant, quibus Legem interpretabantur, eaque ad disciplinam quamdam externam inflectebant, quam dicebant *Legem Oralem*. Alii e contra legis verbis tenaciter adhaerentes, eam adversus primos propugnabant, traditiones quascumque rejicientes. Ex quorum discrepantia enatae sunt Sectae Sadducaeorum, Pharisaeorum, Karaitarum, et Essaenorum, quae tamen in multis fidei articulis conveniebant, in aliis discrepantes. Communis fides omnibus erat, 1. unum Deum mundi conditorem esse colendum. 2. Legem per Moysen latam Deum habere auctorem. 3. Hebraeam nationem prae ceteris esse a Deo dilectam; idcirco fratribus, non reliquis omnia officia esse praestanda. 4. Promissum Messiam esse expectandum, donec veniat. (Consulat. Mosthemius His. Eccles. saec. 1. C. 2. p. 76.)

10. Praecipua vero, et impia Sadducaeorum dogmata, haec erant. 1. Retinendam esse Sacrorum Codicum Literam, traditiones

vero omnes, quae non habentur in Scripturis, abjiciendas: ita scribit Josephus (Ant. lib. 13., C. 18.). 2. Angelos et spiritus per se subsistentes nullos esse (Actor. C. 23., et Joseph. ibid. l. 18. C. 2.). 3. humanam animam simul cum corpore extingui (Joseph. idem ibid. p. 617.). 4. Corporum nullam fore restaurationem, seu resurrectionem (Matt. C. 22.). 5. nullum esse Dei influxum in actiones humanas, sed unumquemque propriae voluntatis viribus posse et bonum agere, et malum: hinc pro meritis, ac demeritis admittebant, Deum in hac vita praemia reddere atque poenas (Joseph de bello Judaic. l. 2. C. 12.). Huc respicit Paulus in Act. C. 23. v. 6. 6. Polygamiam esse damnandam (Basnag. his. Judaeor. l. 2. C. 14.) Confer. Calmet sub hoc titulo). Sadducaeorum secta propter exteriorem, quam colebant, disciplinam, nobiliorum Judaeorum partem traxit ad se, et ipsemet Caiphasus, et Ananus junior ex illa profecti erant.

11. Pharisaeorum secta, quae inter ceteras celebrior fuit, ac numerosior, praesertim temporibus Christi, et post saec. 2., quando, scilicet, conditus est Thalmud, qui ex eorum ineptiis ferme totus constat. Isti homines sub obtentu fucatae pietatis, austerioris vitae, cum magnam innocentiae, ac sanctitatis opinionem apud Judaeos nacti fuerint, eos calliditate, hypocrisi, et malis artibus miserrime traducebant: qua de re non semel a Christo Domino exprobrati fuerunt, atque

atque detecti. Haec autem sunt eorum dogmata praecipua. 1. Praeter legem scriptam, legem quamdam *Oralem* admittebant, quam Deum, ajebant Moysi tradidisse in Sinai per *angelum metratum*, cui legi necessum erat obtemperare, et aliquando legi scriptae eam anteferre oportere, praedicabant. 2. Utriusque legis observantia acquiri, dicebant, sanctitatem, et justitiam, ad quam possidendam tot, ac tanta in humani arbitrii viribus praesidia reponebant, quae superarent etiam justitiam a lege praescriptam. 3. Ad obtinendam justitiam debere homines satisfacere Deo, vel jejuniis, vel eleemosynis, vel alio expiationis genere. 4. Hanc justitiam operibus externis posse acquiri, neque eidem officere pravam cordis intentionem, nisi per externum actum compleretur. 5. Quandam dari Metempsycosim bonarum animarum in alia corpora; malorum vero animas aeternis cruciatibus mancipari. In ceteris eorum fides sana erat.

12. Karaitarum *dogmata* sunt haec, quae sequuntur. 1. Nullam aliam fidei, morumque regulam admittebant praeter libros Moysis, et Prophetarum. 2. consequenter respuebant legem *Oralem*, et quascumque traditiones. 3. Alium sensum in Scripturis praeter literalem non agnoscebant. Karaitae ita sunt appellati, quia, ut inquit Joseph (Antiq. l. 20. C. 25.). Scripturam sequebantur ad verbum. Summo odio erant Pharisaeis; idcirco ferme deleta fuit post ultimum Jerosolymae

 civi-

civitatis excidium: sed iterum renata saecul. Aerae Christianae 8.; Etiam hisce temporibus plurimi Karaitarum inveniuntur apud Turcas, Moschos, et Lithuanos.

13 Restat de Essaenis dicendum. Hujus itaque sectae originem ad illud tempus referunt viri eruditi, quo Assyrii, et Babylonii Palaestinam vastantes hac, et illac Hebraea gens dispersa fuit. Quare factum est ut Judaeorum plurimi, quo tutius laterent, ad deserta loca Aegypti confugerint: in Aegypto namque sedem posuerunt, licet alias quoque provincias pervaserint. Habitabant in vicis, et pagis, agriculturae praesertim operam dantes, et austerissimo disciplinae genere vitam ducebant ab urbium tumultibus prorsus alieni. Ex consuetudine tamen Pythagoreorum dogmata prava nonnulla professi sunt. Nam 1. animas admittebant immortales, sed ex subtilissimo aethere compactas, quae corpore tamquam naturali carcere inclinatione quadam includerentur: a quo cum primum avulsae fuerint, quae bonae in locum quemdam perpetuae felicitatis ultra Oceanum dimittuntur: quae vero malae in tenebrosos, et horridos detruduntur specus, perpetuo cruciandae. 2. Putabant, nihil evenire posse hominibus praeter fati decretum, et praedestinationem ita ponebant absolutam, ut tolleret libertatem. 3. Matrimonium nonnulli admittebant, et alii negabant 4. Erant soliciti cultores moralis disciplinae, quam ad haec tria capita revocabant, ad amorem Dei, ad amorem

pro-

proximi, ad amorem virtutis. 5. Legem tam scriptam, quam traditam recipiebant, easque caute liberis explicabant, esto Pythagorico more sub symbolis, et velaminibus.

§. 14. Hujuscemodi sectis, quae sub extremis Reipb. Judaeorum temporibus enatae sunt omnes, scilicet post obitum Esdrae, ac deinceps, ut eruditi conveniunt: aliae semper fuerunt in populo Dei sectae, seu verius congregationes hominum, qui sanctioris vitae genere divisi erant a populo, more religiosorum nostrorum. Hi primum fuerunt Nazaraei, quorum conditiones, et leges traduntur Numer. C. 6. . Nazaraei nomen hebraice significat *separatio*. Et revera quisquis se Deo devoverat, ut Nazaraeus esset, illico ab hominum consortio separabatur, toto tempore consecrationis suae a vino, et ab omni potu, qui inebriare posset, abstinebat, nec ultra capillos tondebat. Alii erant Nazaraei ab utero, ut Samson, et Joannes Baptista: alii votivi, qui certo tempore libere se Deo dicabant; quo expleto ante ostium Tabernaculi, seu Templi capillos tondebant.

15. Praeter Nazaraeos fuerunt Rechabitae, certa vitae disciplina a ceteris distincti; qui nec vinum bibebant, nec aedificabant domos, et habitabant in tabernaculis, vineam, agros et sementem non habebant, ut patet ex Jeremiae C. 35. Istorum originem repetunt a Raguele, sive Jethro socero Moysis. Raguel namque, et Jethro idem no-

nomen esse creditur, eo quia in Exod. C. 2. dicatur accepisse Moyses uxorem filiam Raguelis, et Cap. 3. pavisse oves Jethro. Certe Hobab filius Raguelis Madianitae dicitur cognatus Moysis (Cap. 10. v. 19.), a quo impetravit, ut cum Israelitis maneret, ne Moyses familiam ejus cum ceteris Madianitis deleret. Progenies Hobab ipsi sunt Cinaei, quos Balaam intuitus est (Numer. C. 24.) vaticinium edens; quique C. 1. Judic. dicuntur cognati Moysis, qui habitarunt ad meridiem Judaeorum. Horum mentio fit etiam 1. Paralip. C. 2. v. 55.: *Hi sunt Cinaei, qui venerunt de calore patris domus Rechab*, quasi dicatur *de lumbis*, ut sensus sit, *hi sunt Cinaei, qui venerunt de socero* Moysis, qui fuit Pater domus Rechabitarum. Cum Babylonii Judaeam caepissent, Rechabitae coacti sunt ingredi civitates. Se receperunt Jerosolymam, et Jeremias eosdem admisit in Templo, et locavit in proprio conclavi (Cap. 35.).

16. His addi possunt Collegia Prophetarum, qui olim dicebantur *Videntes*, quatenus, scilicet, spiritu Dei afflati, judicia, et voluntatem Dei tam praesentem, quam futuram regibus, et populo confidenter aperiebant: Prophetia dicebatur *Verbum Domini*, seu *visio*; Cum vero dicebant *onus*, judicia Dei, et plagas immittendas denotabant. Horum Prophetarum Collegia semper exstiterunt in Judaea, et in Israel, et in singulis Civitatibus, ita ut greges numerarentur; sed

post

post Samuelem numerosior effecta est Prophetarum multitudo. Consule lib. 1. Reg. C. 10. et 4. C. 20. Prophetae viri erant optimis moribus, ac severiore disciplina instructi, canebant continuo laudes Deo psallentes, non ambiebant divitias, voluptates fugiebant, et omnibus magnis, et parvis absque timore mandata Dei, et judicia audacter praedicabant.

17. Scribit Philo fuisse in Aegypti solitudinibus viros contemplationi deditos, quos vocat *Therapeutas*, eo quod meditationi rerum divinarum vacabant, Scripturam Sanctam ad allegoricum sensum flectentes, eamque interpretantes, et interpretationes suas scriptis consignantes. Haec autem Philonis narratio altercationes, et jurgia permulta commovit inter doctos; dum alii volunt revera fuisse Judaeos, alii Gentiles, et quidam christianos. Ipsum consulat sedulus lector in lib., cui titulus: *Omnis probus liber* (pag. 876. Edict. Paris., Mosthemium His. Eccles. saec. 1. par. 1. Cap. 2., et Joseph. de bello Judaic. l. 2. Cap. 12.).

18. Hae sunt sapientium Judaeorum Sectae: quae vero methodo, ordine, ac ratione disputarint, certo definiri non potest. Verosimile tamen est, Doctores Hebraeos allegorica disputandi via morales sententias exposuisse. Primo quia hic mos fuit Aegyptiis, et Palaestinis veteribus: deinde quia id conjicitur tum ex sacris libris Sapientiae, et Ecclesiastici, qui post captivitatem Babyloni-

nicam scripti fuerunt; tum ex fragmentis librorum Hillelis junioris, seu Babylonii, qui natus est an. 112. ante Christum, quique fuit Pater Simeonis illius, qui Christum puerum in ulnas suscepit a Virgine Matre; tum ex scriptis Philonis Alexand., qui vixit, regnantibus Cajo, et Claudio, atque ex caeteris Scriptoribus, qui non multo post literis operam navarunt; praecipue tandem ex iis, qui Hebraeorum traditiones, et interpretationes in unum corpus redegerunt. Horum primus fuit R. Juda, quem usque ad coelum laudibus extollit Maimonides, ipsumque ob reverentiam appellat Rabbinum nostrum sanctum. Ille volumen conscripsit sex libris constans, quem ipse appellavit *Mischna*, quasi dicas secundam legem. Id factum est sub Antonino, Marco Antonino, et Commodo Imperat., nempe 150. an. post Christum natum. Hoc hebraicae doctrinae corpus primum exposuerunt Doctores Jerosolymitani circa an. Christi 230., quam expositionem, seu glossam vocant *Gemara*, quod idem est ac *perficere*, nempe *perfectio Mischnae*. Idipsum fecere Judaei Babylonii initio saec. 6., qui ex Mischna, et Gemara confecerunt Thalmud utrumque. Hierosolymitani tamen exigua est apud Hebraeos auctoritas, cujusque etiam obscuritas est incredibilis. E contra vero Thalmud Babylonium summo in pretio est, et huic operam dant etiam nunc Hebraeorum Rabbini. Incredibile autem est, quot nugis, quot excogitatis fabellis utrum-

que

que Thalmud scateat undequaque. Circa vero saec. Christi 10. Suadias Gaon dogmata Judaica ordine conscripsit, et ad certa capita revocavit, quem librum appellavit *Sepher Maecmunach*, hoc est liber de fide, cujus compendium exhibet Hottingerus in Bibliot. Idipsum praestitit saec. 12. Maimonides vir utique doctus inter Judaeos, resecatis nugis, atque fabellis: ex quo magnum apud doctos sibi nomen comparavit. En quam tradit in sua synagoga Judaica professionem fidei Buxiorfius 13. articulis conflatam.

1. Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, Gubernatorem, et Creatorem esse omnium creaturarum, illum solum omnia fecisse, facere, et facturum esse.

2. Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, unicum esse unitate, quae nullum omnino similem habeat, illumque solum Deum nostrum fuisse, esse, et futurum esse.

3. Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, non esse corporeum, nec ulla ratione corporea comprehensibilem, et nihil omnino extare, quod sit illi simile.

4. Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, primum esse, et ultimum.

5 Fide perfecta credo, solum Creatorem, cujus nomen sit benedictum, et neminem praeterea adorandum esse.

6.

6. Fide perfecta credo, omnia Prophetarum verba vera esse.

7. Fide perfecta credo, prophetias Moysis magistri nostri, qui requiescat in pace, veras esse, eumdem esse patrem omnium sapientum, tum eorum qui praecesserunt, tum eorum qui subsecuti sunt eum.

8. Fide perfecta credo, totam legem, quae hodie in manibus nostris reperitur, traditam esse Moysi magistro nostro, qui requiescat in pace.

9. Fide perfecta credo, legem hanc numquam mutatum iri, nec ullam aliam legem tradendam esse a Creatore, cujus nomen sit benedictum.

10. Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, cognoscere omnia opera hominum, et omnes cogitationes eorum, sicut dicitur: *ipse omnium corda pariter finxit*, *intelligit omnia opera eorum*.

11. Fide perfecta credo, Creatorem benedictum, bonum retribuere iis, qui ejus mandata observant; illos vero, qui ea transgrediuntur, punire.

12. Fide perfecta credo adventum messiae, et etiam si retardet, nihilominus semper illum expectabo, donec veniat.

13. Fide perfecta credo, mortuos vitae restituendos esse, quando ita feret beneplacitum Creatoris, cujus nomen sit benedictum, et cujus memoria extollatur in saeculum, et aeternitatem.

19. Praeter recensitos articulos sunt alia non-

nonnulla Judaeorum placita, quae juvat non penitus ignorare. Primo siquidem profitentur Rabbini transfusionem originalis peccati in omnes homines (in Thalmude tract. de benedictionibus c. 1.). Secundo plagas hominum per peccatum immissas sanandas esse a Messia, ipsumque passurum fatentur. Sed duos Messias distinguunt, alterum occidendum, alterum gloriosum. De Messiae temporibus diffitentur Rabbini, patres eorum censuisse, mundum hunc ad sex annorum millia duraturum; duobus mille fuisse inane, hoc est sine lege, duobus mille scriptam legem perseverasse, et duobus mille regnum Messiae commensurandum. Sic juxta Hebraeorum calculos dies illi Messiae ab eo tempore caepissent, quo Jesus natus, et passus est. Hanc difficultatem sentientes expectantes Judaei; inquiunt, quod propter iniquitates, quae auctae sunt, Messias, qui duobus mille annis regnare debebat, multos ex his fluere sinit, quibus a Deo nondum mittitur. Sed cum ex duobus annorum millibus jam effluxerint a Christi nativitate 1799., infideli obstinatione Hebraei convincuntur ex ipsorum fide; transibunt profecto et ceteri ducenti anni, et dies Messiae consummabuntur, nec unquam per eos advenerit. Caeterum carnales Judaei cogitabant Messiam regem terrenum, quo triumphante, gentes omnes subjugarentur; nec aliud ab eo expectant, quam opes, et lauta convivia. Idcircò Hebraei cetoros homines odio habent; quin et occidendos putant omnes, qui

sal-

saltem Noachidarum septem praecepta non servant. Nullum alium sibi proximum putant, quam Israelitam. Legem Moysis laudibus extollunt, sed eam posse violari in vitae discrimine persuasum habent. Juramenta, quae in Dei nomine (quod cavent) facta sunt, servant: ast quae fiunt per ceteras creaturas inania esse, et posse violari impunè arbitrantur. Omnes Israelitas partes habituros in felicitate futuri saeculi, credunt; sed eos, qui in grande peccatum lapsi sunt paenis subjiciunt tum in hac vita, tum post mortem luendis. Quare in libris Judaeorum Canones quidam poenitentiales, seu poenae pro peccatis, quae quisquis reorum confiteri tenetur, reperiuntur constitutae.

Extat tandem apud Hebraeos triplex Cabbalae genus. Primum est ars eruendi ex sacris Codicibus mysticum et arcanum sensum, nempe allegoricum, tropologicum, anagogicum, eosque reconditissimos. Quae quidem ars non omnibus Judaeis, sed tantum Doctoribus (inquiunt ipsi) tradita fuit sub quibusdam symbolis; et ex ea plerumque constat Thalmud. Altera Cabbala, quam post conditum Thalmud adinvenerunt Rabbini recentiores, tota occupatur in reperiendis mysteriis in alphabeti literis, quae in Bibliis occurrunt, hac, et illa ratione conjunctis, ac divisis: nugatoria autem prorsus est. Tertia tandem omnino execrabilis est, utpote quae morborum curationes, incantationes, miracula, et similia prosequitur. Et de Theologia

logia Hebraeorum dictum sit satis. Conferantur Wolfius in Bibliot. Hebr. par. 1., et Archangelus Burgonovensis Minorita in selecta Cabbalistarum dogmata. Interim gradum facimus ad Theologiam Christianorum a saeculo I. usque ad V.

CAPUT IV.

De Theologia Christianorum.

20. Firmiter in primis tenendum, Theologiam revelatam incrementum omne, quod habitura erat, obtinuisse post Christum. Veteris namque legis typus Christus erat; sicque omnia, quae contingebant Hebraeis, ad Christum referebantur, quem vetus Ecclesia venturum sperabat, et nova deinceps conditorem habitura erat. Tunc ergo Spiritus Sancti afflatu, uno, eodemque tempore omnia fidei dogmata fuere Apostolis concredita, et revelata, ut ipsi divinis mysteriis sic edocti hanc ipsam doctrinam Ecclesiae traderent: itaut nullum novum dogma, quod Apostolos latuisset, cudendum foret deinceps. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret omnia, quaecumque dixero vobis* (Joan. c. 14.). Sic Christus Apostolis promiserat, et sic factum est. Promiserat insuper Christus, numquam Ecclesiam suam se derelicturum, sed mirifico modo ipsum adjuturum usque ad saeculi consummationem,

ne

ne aliam, quam ipse tradiderat doctrinam ipsa amplecteretur aliquando, et semel traditam divinitus admitteret (Matth. c. ult.)

Licet autem haec omnia vera sint: non omnia tamen fidei Christianae dogmata eodem tempore, nec eadem explicita ratione, et claritate sunt fidelibus manifestata ; sed pro diversa occasione citius alia, alia serius, quaedam aperte, quaedam vero subobscure concredita sunt. Porro Christus Jesus omnium Magister, et Parens non alia disputandi via usus est, nisi ea, quae apud Hebraeos, et Orientales in veteri usu erat, loquens nimirum in parabolis, et similitudinibus: *Haec omnia*, scribit Matthaeus (C. 13. v. 34.) *locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis*. Apostoli vero Praeceptoris sui imperata populis voce nuntiaverunt; neque profecto aliquam certam disputandi rationem prosecuti sunt; sed prout opus erat, ad Spiritus Sancti eorum linguam dirigentis impulsum, de fidei mysteriis loquebantur, eaque miraculis confirmabant, et sanguine signabant suo. Quatuor Evangelia quae sunt unus Evangeliorum liber, et nonnullorum Apostolorum scripta sacrum quidem continent Christianae fidei ac doctrinae depositum; sed in his compendium aliquod sistematica methodo excogitatum frustra perquires. Uno verbo Apostoli scribebant, et disputabant, prout sese offerebat occasio. Quadruplicis namque generis erant hostes, quibus cum disputando contendebant

Apo-

Apostoli; nempe Gentiles, Judaei nondum conversi, Judaei Neophyti, et Haeretici. Cum Ethnicis disputabant, an esse possit aliqua felicitas aeterna; et si possit, quae via tenenda foret ad eam consequendam (leg. Act. C. 13., 2. ad Ephe. C. 1, 1. ad Tessal. C. 9.). Cum Judaeis non conversis haec erat controversia: An Jesus Nazarenus sit verus Messias; hoc est an felicitas aeterna hominis ex Mosaicae legis observatione, an ex Christi lege sit speranda. Et quoniam quibusdam ex Neophytis Judaeorum persuasum erat, legem veterem non esse repudiandam, alia hinc quaestio orta est: utrum, scilicet, Judaeorum observationes cum lege Christi essent una conjungendae; an ea sola sufficeret; quam quaestionem vehementer urget Paulus adv. eosdem, praesertim in Epist. ad Galatas, et Philippenses. Cum Haereticis tandem tot fuerunt Apostolorum controversiae, quot ipsorum errores, ut sunt illi Hymenaei, et Phileti (2. Timot. C. 2.) Nicolaitarum (Apocal. C. 2. (, Simonianorum, Cerinthianorum, aliorumque. Symbolum non scriptis mandasse Apostolos, sed memoriae consignasse, veterum fuit opinio: *Symbolum*, inquit Hyeronimus (Epist. 61. ad Pamachium) *fidei, et spei nostrae, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, et atramento; sed in tabulis cordis carnalibus*. Ipsum ab Apostolis conditum, negarunt Du Pinus, et alii; sed defendunt Petit Didier, Natalis Alex., alique. Liber vero Didascalia-

liarum, qui Apostolis tribuebatur, eorum foetum non esse fatetur Eusebius Caesariensis (Hist. Eccl. l. 3. C. 25.). Ab aliis conditae sunt hujusmodi Didascaliae, quasi essent ab Apostolis, vel eorum discipulis conscriptae, aut dictatae.

21. Viri quoque Apostolici, illi nempe, qui Apostolorum aevo vixerunt, et ab iisdem edocti fuerunt, eadem prorsus ratione usi sunt, neque ad unguem flectentes a Praeceptorum suorum institutis. Fuerunt hi praeter ceteros, Simeon, Ignatius, Polycarpus, Papias. S. Ignatius S. Petri discipulus, eidem successit in Sede Antiochena post Evodium an. 70. usq. ad 107., aut 108., quo Romae martyr occubuit sub Trajano. Extant ejusdem septem Epistolae, ut genuinus ejus foetus, habitae ab eruditis, nempe ad Smyrnenses, ad Polycarpum, ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Philadelphios, ad Trallenses, ad Romanos. In his multa fidei dogmata, praesertim Christi Divinitas, ejusque in Eucharistia realis praesentia, mirifice confirmantur. Legatur Editio Usserii ex mss. Anglicanis, et Vossii ex Cod. Medicaeo. S. Polycarpus Joannis Apost. discipulus fuit Episcopus Smyrnensis; quam Ecclesiam 60. an. et amplius sanctissime rexit. Per martyrium vitam finivit; sed quo anno incertum est. Alii cum Eusebio volunt obiisse an. 167., alii 169., alii 175., et nonnulli 147. Scripta non reliquit. Papias et ipse Joannis Auditor, et Polycarpi sodalis, fuit Episcopus Hieropolitanus in

Phry-

Phrygia. Sed ex malè intellectis quibusdam Scripturarum textibus finxit mille annorum regnum, in quo Beati post corporum resurrectionem essent cum Christo corporaliter regnaturi. Sed de Papia alibi.

22. Sub id temporis fuit quidam Hermas Pauli discipulus, qui Librum condidit, cui titulus *Pastor*, in tres partes divisum, in quarum prima quatuor visiones describuntur; in altera decem tradit mandata; in ultima decem profert similitudines. Tanto in pretio hic Liber habitus fuit in Ecclesia, ut non solùm ipsum laudaverint viri gravissimi; sed etiam in Ecclesiis Orientis et legeretur, et explicaretur (Eusebius Hist. Eccles. l. 3. C. 3.) Attamen etsi quaedam in eo ad primam institutionem accommodata reperiantur, ad componendos mores est praecipuè institutus: nec vero id factum est dilucidè et distinctè, sed inconcinnè, et absque ullo ordine (Consul. Nourry ad Biblioth.Max. Patrum, Diss. 4. ar. 1.).

23. S. Dionysius, unus ex Senatoribus Areopagi, et ab Apostolo Paulo ad fidem conversus Athenis circa an. Christi 50.; utrum in Gallias venerit; utrum Parisiensis Episcopus fuerit, et in monte Martyrum propè Parisios M. obierit; utrum Operam, quae sub ejus nomine vulgantur, *de divinis nominibus*, *de coelesti*, *et Ecclesiastica Hyerarchia de mystica Theologia ec.* an ejus sint, aut alterius Dionysii magna inter eruditos concertatio est. Horum Operum Greco-Latina e-

ditio prodiit Antuerpiae 1634. cum Scholiis Max. Monachi, et Georgii Pachimerae paraphrasi studio Balthassaris Corderii e Societ. Jesu. Legatur Natalis Alex., Cajetanus, Valla, Erasmus, praecipue vero Card. Cozza in praeclaro Opere, cui titulus *Vindiciae Areopagiticae*.

24. Hanc autem viam tradendi tum Catechumenis, tum Fidelibus sacram doctrinam, quam tenuerunt primi Aevi viri Apostolici, et Patres; prosecuti sunt etiam subsequentibus saeculis hi, qui Apostolico munere fungebantur. Toti namque erant in explicando Catechumenis, et Christifidelibus ea quae credenda, et agenda sunt ad aeternam vitam consequendam. Quam docendi rationem *Isagogem*, quae ad rudiores pertinebat, et *Catechesim*, quae perfectiores spectabat, dicebant Hanc Pantaenus Alexandrinae scholae Magister: *Pantaenus*, inquit Eusebius (Hist. Eccl. l. 5. c. 10.) *Alexandrinae praefuit scholae, ubi partim viva voce, partim scriptis Divinorum dogmatum thesauros exposuit*. Hanc Clemens Alexandrinus in Pedagogo, praesertim libris tribus, qui eo consilio videntur scripti, ut in Ecclesiis legerentur. Hanc Origenes, Eracla, ceterique. Praeter Isagogicos tamen, et Catechistas, erant qui Theologi nominabantur, vel poterant nominari: horum munus erat duobus hebdomadae diebus aliquam Scripturae partem interpretari, quod vel Episcopus praestabat, vel alii ejus nomine. Quod si aliqua contentio orie-

oriebatur de germana scriptione Bibliorum, Evangelium, quod singulis in Ecclesiis summa veneratione servabatur, proferebant. Sin vero dubium, aut obscurum aliquid occurrebat, consulebant tunc seniores, qui germanum sensum ab Apostolis acceperant, eorumque dictis stabant. Quare Irenaeus (l. 3. c. 3.): *Et si quibus de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret recurrere in antiquissimas Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum, et re liquidum est? Quid autem, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?* En quantum venerationis tunc deferebant Apostolicae traditioni, ad quam semper, et ubique confugerunt Patres.

25. Clemens Alexandrinus Presbyter, et Alexand. Scholae Praefectus obiit circa an. 220. Plura scripsit volumina, inquit S. Hieronymus (de scriptoribus c. 8.) plena eruditionis, et eloquentiae tam de Scripturis divinis, quam de saecularis literaturae instrumento.

25. Origenes item Alexandr. S. Leonidis M. filius, et Clementis Alex. discipulus ejusque in scholae praefectura ibid. successor, natus est 185., Presbyter factus an. 42. aet. suae, obiit 152. Origenes celebris fuit doctrina, amore castitatis, fidei in carceribus, et tormentis confessione. Praeter ea,

 quae

quae scripsit in sanctam Scripturam, ut dictum est Lib. 1., alia multa edidit volumina, quorum magna pars ad nos usque non pervenit; supersunt adhuc multa, inter quae libri contra Celsum, qui plurimi fiunt. Attamen Origenes nomen suum foedavit propter multos errores, quibus ejus libri scatent, ab Ecclesia damnati.

26. S. Irenaeus S. Polycarpi discipulus, ac post s. Photinum Lugdunensis Episcopus an. 170., martyr obiit an. 201. aut 202. Multa graece scripsit, praecipue libros quinque adv. Haereses.

27. S. Justinus Philosophus, ad fidem conversus circa an. 133., martyr occubuit circa an. 165. Praeter alia quae scripsit, duas ejusdem habemus Apologias pro Christianis. Sed in omnibus Editionibus primo loco ponitur, quae secunda est, et secundo loco, quae prima.

28. Athanagoras Antiochenus, Philosophus Christianus, Apologiam dedit pro Christianis circa an. 165., et graece scriptam obtulit Imperatoribus.

29. Tatianus item, Theophilus Antiochenus, Tertullianus, Minutius Felix Afer, Patres secundi saeculi, hi omnes Apologias scripserunt pro veritate christianae Religionis. Causa autem, cur hujusmodi vulgarunt Apologias fuerunt obtrectationes, et calumniae Gentilium, qui circa tria criminabantur christianos; nempè 1. quod plures Deos colerent; 2. quod carne vescereutur huma-

na

na; 3. quod incestuose, ac nefario uterentur concubitu (Confer. Nourry Appa. ad Biblioth. PP. T. 2.) Ast Tertullianus (Quintus Septimius Florens) Affricanus, et ad fidem conversus circa medium 2. saeculi, praeter Apologias alia multa scripsit sale, et acumine plena, inter quae Liber *de Praescriptionibus* Haereticorum singularem meretur laudem . Veruntamen, ut erat instituti, et vitae rigidioris, Montanistarum speciosis jejuniis, et vigiliis deceptus, eorum sectam amplexatus est, et in ea, ut creditur, mortuus valde senex circa an. 220.

30. Patrum itaque doctrina duorum priorum saeculorum, ad quatuor capita revocabatur: 1. Erudiebant Cathecumenos , et morum praecepta dabant fidelibus: 2. Ritus, et placita Christianorum ab irrisionibus Gentilium defendebant: 3. Judaeis Christianae religionis veritatem probabant : 4. Scripturarum testimoniis juxta Apostolorum sententiam explicatis occurrebant Haereticis. Haec ergo fuit tunc philosophandi ratio de rebus divinis; quae quidem non Scholarum forma, partitione, atque dialecticis argumentis, sed soluta, ac perpetua oratione singula prosequebantur .

31. Eamdem methodum prosecuti sunt, qui Catecheses Isagogicas, et Mistagogicas, sive Homilias ad Neophytos, et Fideles habuerunt saeculo 3. In hac tamen differentia quod Theologiam Polemicam diligentius tractare caeperunt. Siquidem Philosophi Genti-

les

les, iique acutissimi, atque doctissimi, scriptis editis, atrociter in nostros insurrexerunt, ut prae ceteris Celsus, atque Porphyrius: quare Christianis Doctoribus necesse fuit iis solerter, et abundantius occurrere. Quod praestiterunt Methodius, Apollinaris, ipsemet Origenes Adamantius saec. 2., cujus etiam extant libri contra Celsum; sed praesertim hoc saeculo Tascias Caecilius Cyprianus Carthaginensis, cujus Urbis postea fuit ordinatus Episcopus an. 248. Fuit hic Tertulliani discipulus, cujus scripta continuo evolvebat, et ipse pluribus Operibus, quae S. Hieronymus vocat luce clariora, Ecclesiam ditavit. Obiit martyr 14. Septembris an. 258. Haereticos quoque, qui hoc saeculo deliria multa excogitarunt, nempe errores Tertulliani, Arabicorum, Valesiorum, Origenis ipsius, Novati, Sectarii Rebaptizantium, Apostolicorum, Sabellii, Manichaeorum, Hieracis, et Angelici, paulo felicius aggressi sunt, et confutarunt: subtilius tamen, et accuratius sacros Codices sunt interpretati.

32. Saeculo autem 4., et 5. Christiani Doctores ab illo nudo, et simplici sacra dogmata tradendi stylo paululum recesserunt. Cum enim praeter Gentiles, et Judaeos, cum Haereticis, iisque exercitatissimis in Dialectica arte pugnare debuerint: Catholicis quoque Aristotelis dialecticam, quam antea fuerant detestati, discere necesse fuit, ut adversariorum cavillationes, et sophismata pro merito refellere, ac dissolvere potuissent

sent, esto aliter, ac Gentiles, et Haeretici, dialectica arte usi fuerint. Haeretici itaque, contra quos rem habuerunt Catholici saeculo 4. fuerunt Donatistae, Agnostici, sive Circumcelliones, Ariani, Eunomiani, Millenarii, Messaliani, Collyridiani, Nudipedes, Priscillianistae, Paterniani, Luciferiani: saeculo 5. Abeliani, Pelagiani, Nestoriani, Eutychiani, Acephali, Jacobitae, de quibus historia lib. 3. Contra hos igitur pestilentissimos homines voce insurrexerunt, et scriptis Doctores nostri. Ex Graecis prae caeteris id praestarunt saeculo 4. S. Athanasius, et Eusebius Caesariensis, licet iste adortus praecipue sit Gentiles, et Judaeos, et singulariter Hieraclis sacros Codices negantis impudentiam fregerit. Athanasius itaque egregie scripsit contra Arianos, a quibus incredibilia mala passus est, aliosque sui temporis Haereticos. Interfuit cum S. Alexandro Patriar. Alexand. Nicaeno Concilio; successit postea in locum Alex. circa an. 326., obiit 2. Maji 373.

33. Scripsit etiam hoc saeculo S. Cyrillus Alexandrinus, ejusdem urbis Patriarcha an. 412.; sed hic Catecheses 18. exaravit ad Competentes, et 5. Mystagogicas. In primis agit de peccato, de Baptismate, de Symboli articulis, aliisque: In secundis de Baptismo, et Eucharistia. Interfuit C. G. Ephesino 3., cui praefuit nomine S. Caelestini I. Papae. Exagitavit quoque felici successu Novatianos, et Nestorianos; ejus Opera ma-

gno

gno in pretio semper habuerunt Catholici.

Accedit S. Cyrillus Jerosolymitanus, ejusdem Civitatis Episcopus an. 350. Scripsit Catecheses Mystagogicas, quae celebriores habentur inter ejus Opera Graeco Latina cusa Parisiis an. 1720. studio Augustini Maurini. In his sapienter erudit accedentes ad Baptismum, ac recenter baptizatos, et de reali, ac substantiali praesentia Corporis, et Sanguinis Christi in Eucharistia egregie pertractat. Frustra Novatores nostri conati sunt Cyrilli Opera impugnare, ejus namque esse demonstrat Casaubonus, licet Calvinista celebris. Adfuit Concilio CP. G. II. an. 381.

34. S. Epiphanius Phaenicius, et Episcopus Salaminae in Cypro circa an. 378., vir quinque linguis excultus, et in sacris profanisque Scriptoribus optime versatus, scripsit adv. haereses 80 *Panarium*, in quo ipsarum haeresum historiam texit, easque strenue profligat; usus tamen est stylo simplici, abjecto, aspero, et propter animi simplicitatem multa credidit, quae vera non sunt. Nonagenarius mortuus est circa an. 402.

35. Hunc sequitur S. Basilius Cappadox Caesariensis Episcopus, vir singularis eloquentiae, et doctrinae, acris quoque, et solertis judicii; ut merito nomen *Magni* sit adeptus. Multa scripsit Basilius, nempè Panegyricos, Libros Polemicos, morales Sermones et Asceticos; ac tandem Homilias, in quibus omnibus tam purè, eleganter, aper-

teque

teque scribit, ut nihil amplius in iis possit desiderari.

36. Consociatur huic S Gregorius Nazianzenus, primum Episcopus Sasimorum in Cappadocia, postea CP. circa an. 380; huic cognomen *Theologus* propter acumen ingenii, quo philosophabatur. Multa namque edidit Gregorius, et oratio ejus nativa est, suavis, facilis, jucunda, sententiae acutae, et breves, sed adeo sublimes, et graves, ut Erasmus putarit, vix posse in aliam linguam commodè converti. Episcopatu CP. se abdicavit pacis causa, et in senectute bona quievit in patria circa an. 390.

37. S. Gregorius Nissenus D. Basilii M. S. Petri Sebastae Praesulis, et S. Macrinae Abbatissae frater, an. circiter 370. Nisae in Cappadocia Episcopus, pro tuenda Nicaena fide verbo, et scriptis acerrimè propugnavit; cujus rei causa à Valente Imper. Ariano in exilium pulsus, octo annis hac, et illac erravit. Tandem Sedi suae restitutus interfuit G. Concilio 2. moritur an. 394. Vocatus est à VII. Synodo Oecumenica *Pater Patrum*.

38. Venit postremo S. Joannes Chrysostomus, Antiochiae natus an. 354. vel circiter, deinde Patriarcha CP., fuit omni fermè scientiarum genere excultus, et ob eximiam, et verè auream, quà in publico perorabat, eloquentiam, *Chrysostomus* dictus; flumen enim aureum sonat hoc nomen. Opera multa edidit Graecè, et Latinè, et Judaeos, Gentiles, Arianos, aliosque doctè admodum confutavit. Obiit in exilio an. 407.

39. His addimus Sozomenum patria Palaestinum, professione Causidicum, qui Historiam Ecclesiasticam elucubravit per an. 115., ab an. scilicet 324. ad an. 440., eamque dedicavit Theodosio Juniori. Et Socratem coaevum, qui item Hist. Ecclesiasticam exaravit. Sozomenus vincit Socratem sermonis elegantia, sed vincitur a Socrate judicii maturitate.

40. Ex latinis autem plurimi quoque ingenii, ac doctrinae praestantes viri hoc ipso saeculo scripserunt. Arnobius Affricanus libros septem evulgavit, adv. Gentiles circa an. 304., ac totidem ejus discipulus Lactantius Firmianus, qui ob singularem eloquentiam *Cicero Christianus* est appellatus. Obiit valde senex circa an. 330.

41. S. Optatus, Milevitanus in Numidia Episcopus, qui claruit circa an. 368. contra Donatistas doctè, et acute libros septem scripsit.

42. S. Hilarius, Pictaviensis Episcopus circa an. 355. Arianos praesertim exagitavit summa constantia, et eloquentia, voce, et scriptis. Hic a S. Hieronymo vocatur eloquentiae *Rhodanus*; ac revera ejus scripta impensè laudantur Obiit circa an. 368.

43. S. Hieronymus Presbyter Stridone natus in confinio Dalmatiae, et Pannoniae circa an. 329., solidè, et eruditè scripsit adv. Vigilantium, Helvidium, Jovinianum, Luciferianos, Pelagianos, Origenistas; et alia plurima edidit Opera, quorum recentiores

Edi-

Editiones sunt *Maurina*, et Veronensis, quae majori eruditorum plausu videtur excepta. Decessit valde senex an. 420.

44. S. Ambrosius Romanus, et Mediolanensis Episcopus an. 374., qui pariter multa scripsit egregiè, et contra Arianos strenuè decertavit. Diem clausit 397., an. 57. aetatis suae. Hi omnes 4. saeculo.

45. Saeculo vero 5. S. Fulgentius Affricanus, Ruspensis Episcopus circa an. 508. qui persecutus est prae ceteris Arianos, Semipelagianos, et Massilienses. Hic exul factus a rege Wandalorum Thrasimundo in Sardiniam insulam, ac decreto postea revocatus Hilderici an. 523., in pace tandem decessit circa an. 533.

46. S. Prosper, non (ut diu creditum est) Episcopus Aquitanus, sed patria; erat enim Laicus, et aliquandiu S. Leonis I. Papae Secretarius. Multa scripsit contra Pelagianos tum stricta, tum soluta oratione. Scripsit etiam contra Gallos, qui Augustini doctrinae circa gratiam, et praedestinationem adversabantur. Obiit circa an. 460.

47. S. Leo Papa I. Tuscus cognomento *Magnus*, qui rem habuit adversus Nestorium. De hoc Leone ait Joan. Trithemius: *Fuit dictionis Ecclesiasticae Tullius, sacrae Theologiae Homerus, rationum fidei Aristoteles, auctoritatis Apostolicae Petrus, et in Christiano pulpito Paulus*.

48. Gennadius Massiliensis, non quidem Episcopus, ut alii putaverunt, sed tandum Pre-

Presbyter, duos edidit libros, unum de Scriptoribus Ecclesiasticis, alterum de Ecclesiasticis Dogmatibus. Hic Semipelagianismi solet accusari. Vixit usque ad finem saeculi quinti.

49. S. Augustinus Tagaste natus, an. 354. et Hipponensis postea Episcopus an. 395., vir fuit summi ingenii, et Catholicae fidei zelator indefessus, Haereticos omnes suis scriptis debellavit; praesertim vero Manichaeos, Arianos, Donatistas, Pelagianos, et Semipelagianos. Luce clariora sunt hujus magni Doctoris Opera. Obiit aetat. suae 75., an. m. 430.

50. Videte, quam magna Haereticorum turba! Videte ex adverso, quam grandis Doctorum seges! qui luce veritatis tenebras fugant, et fidei armis errores confodiunt. Hi sunt Magistri nostri, quos legere incessanter oportet. Haec tamen summorum Virorum Opera, nec pro absoluto compendio, nec pro systemate haberi possunt, cum non omnia fidei dogmata, sed quaedam dumtaxat, et haec ut plurimum sine ordine prosequantur, ut legenti patet. Inficiendum tamen non est, Augustinum prae ceteris ad systematicam scribendi formam in singulis Tractatibus proprius accedere.

CAPUT V.

De Theologia Patrum a saeculo V. usque ad X.

51. HInc sequentibus saeculis Theologia paulatim ad systematicam methodum

dum accedere conspecta est. Omnibus praeire visus est saec. 6. Anicius Manlius Torquatus Boetius Romanus, qui aliquot libros Aristotelis, cujus erat studiosus, latine reddens, formam systematis in suis scriptis satis est prosequutus. Inter Opera ejus Philosophica celebriores sunt libri quinque *de Consolatione*, qui forte ab eodem conscripti sunt Papiae in carcere, in quem vir iste nobilis, et doctus a Theodorico Rege Italiae inclusus post gestum Consulatum an. 510., capite tandem plexus est an. 524. Extat etiam Boetii Opus Theologicum adv. Eutychen, et Nestorium de duabus Naturis, et una Persona Christi, et aliud de Trinitate.

52. Huic proxime accedit Magnus Aurelius Cassiodorus Senator Romanus, sed ex Lucania oriundus, in divinis, humanisque literis egregie excultus. Hic multa scripsit Exegetica in Scripturam, ex Augustino praesertim libata. Item libros duos Institutionum Divinarum, in quibus de ratione sacram Scripturam legendi, deque iis, qui ad sua usque tempora sacros libros fuerant interpretati, apte satis disputat. Postremo librum composuit de septem disciplinis, nempe de Grammatica, Rethorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia, quibus Monachos suos ad altiora studia praepararet. Post varia Reipb. munia cum laude gesta, mundo vale dicens, in Monasterio a se aedificato in Calabriae finibus se recepit, ibique sanctissime obiit an. aet. suae 93., m. 510., vel circiter.

53.

53. Circa hujus saec. 6. finem floruit S. Gregorius I. Pontifex, cognomento Magnus, Romanus, qui plurima scripsit, praesertim ad mores reformandos. Ejus Epistolarum *Registrum*, seu Regestum constat 12. libris; sed Jamesius in Vindiciis Gregorianis nonnullas Epistolas ab eo abdicat, quas tamen suas esse contendunt eruditi cum Natali Alex. Verum ipsemet Natalis negat, Commentarios in lib. Regum, in 7. Psalmos Poenit., et in Cantica, esse Gregorii M. Item *Privilegium S. Medardi* multos habet impugnatores cum Launojo, licet Joan. Mabillonius, et alii tamquam legitimum defendant.

54. Saeculo 7. laudantur praecipue S. Isidorus Hispanus, et post S. Leandrum fratrem Episcopus Hispalensis circa an. 595. Hic inter cetera ex Moralibus S. Gregorii, ac etiam ex Augustino, aliisque tres libros Sententiarum docte conscripsit. A Concilio Toletano VII. vocatus est: *Ecclesiae Catholicae novissimum decus,... in fine saeculorum doctissimus*. Leontius Cyprius, qui omnium primus locos communes Theologicos apte satis lucubravit; et Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus, qui Acephalos confutavit; Tajus Episcopus Caesaraugustanus, qui ex ejusdem Gregorii scriptis, et Augustini composuit libros quinque sententiarum, in quibus de tota ferme Theologia disputat.

55. Praetereundum tamen hic non est, saltem eruditionis gratia, quod hi, qui per

id

id temporis Theologiae vacarunt (paucis exceptis , qui veteres Haereticos confutarunt), Scripturarum praesertim enarrationi operam dederunt. Initio sequebantur Origenem, antequam de ejusdem scriptis tantae essent excitatae contentiones: sed postea Graeci Chrysostomum, Latini Augustinum , et Gregorium M. in suis interpretationibus sunt imitati. Quare paulo post Gregorii aetatem factum est, ut in exponendis Scripturis in id unum intenderint Doctores, in excribendis scilicet sententiis eorum, qui jam praecesserant, quas Catenas Patrum appellarunt, nihil, aut parum addentes de proprio. Id praecipue aggressus est Beda Anglus Benedictinus, cognomento Venerabilis, vir utique omni disciplinarum genere clarus, qui Catenam ex dictis Patrum contexuit sub initio saeculi octavi; idque facere monuit Monachos suos, ut sequentibus saeculis diligentissime praestiterunt; praesertim vero Alcuinus, seu Albinus, qui an. 804. decessit Turonibus; S. Haymo Episcopus Helberstadiensis an. 840., Ludgerus Monasterien is, Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus ad an. 877., qui etiam confutavit strenue Gothescalcum, fuit hic discipulus Alcuini; Walafridus Strabo, qui ad 840. Glossam ordinariam in Scripturam ex Rabani commentariis composuit, quae deinde ab Anselmo Laudunensi aucta, et ornata est, adjectis Patrum sententiis. Hanc tamen Glossam nonnulli adscribunt alteri Straboni Fuldensi Mona-

na-

nacho, quod nobis hoc in Opere inquirendum non est. Beda autem praeter Catenam, et alia egregie scripta, exaravit quoque Historiam Ecclesiasticam Gentis Anglorum a primo Julii Caesaris adventu in Britanniam ad an. 731.

56. Circa vero medium saeculi 8. Joannes Damascenus Opus condidit in 4. libros dispertitum, cui titulus *De fide Orthodoxa*, quod pro justa Theologiae epithoma, seu compendio haberi potest: unde haec aetas prima Theologiae Systematicae vocari solet. In illo namque pauca admodum desiderantur, totumque est ad Haereticos revincendos, praesertim Iconoclastas, Eutychianos, et Nestorianos. In primo lib. Damascenus pertractat de Deo, ejusque attributis, et personis: in altero de rebus a Deo creatis, de homine, de providentia, praescientia, praedestinatione, Adamique peccato disserit: in tertio de Incarnatione, de persona, et utraque natura Christi: in ultimo de eodem argumento, ubi quoque sermonem instituit de fide, de baptismo, ceterisque Christianae religionis dogmatibus. Scripsit praeterea *Sacra Parallela*, in quibus tamen eamdem, quam in Opere, doctrinam prosequitur, sed secundum ordinem literalem dispositam. Quare Damascenus a nonnullis inter Scholasticorum proavos accensetur. Hoc ipso saeculo scripserunt contra Mahumetanos Theodorus Abucara, et Bartholomaeus Edessenus; Praeter Alcuinum S. Paulinus Aquileensis, Ethe-

rius

rius, et Beatus Divinitatem Christi adv. Felicem, Elipandum, aliosque vindicarunt.

57. Saeculo autem 9. tum in Oriente, cum in Occidente plurimi extitere Theologi Polemici. Siquidem sub id temporis triplex controversia exagitavit Theologos, Prima erat inter Orientalem, et Occidentalem Ecclesiam sub Photio Pseudo CP. Patriarcha circa Spiritus S. a Patre, et Filio processionem, quae statim in apertum schisma evasit, quod ad haec nostra usque tempora infauste perdurat. Altera *de Corpore, et Sanguine Christi* in Eucharistia apud Occidentales; et haec vehemens, ac diuturna. Tertia tandem in Occidente de Praedestinatione adv. Gottescalchum monachum. Nimius essem si pro utraque parte disceptantes Theologos vellem hic recensere. Si nosse desideratis, qui contra Photium scripserunt, consulite Fabricium Biblior. Graec. vol. 8. pag. 372. Hujusmodi tamen Theologi misere admodum philosophati sunt, sine perspicuitate, sine modo, sine ordine, et incondito dicendi genere, neque forma usi sunt, si unum excipias S. Benedictum Anianensem, qui Damasceni iter prosecutus est in suo *de forma fidei* Opusculo, quod veluti Theologiae compendium haberi potest.

58. Tanta nihilominus hoc saeculo, ac etiam duobus sequentibus obtinuit ubique ignorantia, ut si Guilelmo Malmesburiensi de gestis regum Angliae lib. 3. fidem habere velimus: *Clerici literatura tumul-*

tuaria contenti, *vix Sacramentorum verba balbutiebant*; *stupore*, *et miraculo erant ceteris*, *qui Grammaticam nossent* : Sic ille : quare per Concilia Provincialia , ut videre est apud Baronium Annal. Eccl. ad an. 992. n. 25. , sancitum est, ut Presbyter interrogetur: *Si Evangelium*, *et Epistolam benè legere possit*, *atque saltem ad literam ejus sensum manifestare*. *Item si sermonem Athanasii de fide ss. Trinitatis memoriter teneat* , *et sensum ejus intelligat*, *et verbis communibus enunciare sciat* . Heu! heu! post lucem tenebrae! Nescio quo fato . Ast si talis Sacerdos, qualis populus ?

59. Transeamus ad seculum X. ceteris deplorabilius, et infelicissimum omnium propter morum perversitatem, et literarum inscientiam, idcirco *ferreum* nuncupatum (Videte Baronium ad an. 900. n. 1.) . Nihil de moribus hic dicemus; unum de ignorantiae magnitudine dixisse sat erit , nempe quod in ipsa urbe Roma rarus admodum erat, qui literas sciret; si quis autem *Trivium*, aut *Quadrivium* didicerat, hic doctissimus reputabatur . Erat autem Trivium studium Grammaticae , Rethoricae , ac Dialecticae . Quadrivium vero Geometriae, Arithmeticae , et Musicae. Laudantur tamen in tanta morum corruptione, et disciplinarum inscitia S. Odo Abbas Cluniacensis, qui Collationes morales in Job, et Commentaria in libros Regum posteris consignavit, Moyses Ber Cepha Episcopus Syrus in Orat. sex dierum , Rathe-

therius Veronensis, qui libros edidit adv. Antropomorphitas, deque Eucharistia, et Praedestinatione, aliique perpauci.

CAPUT VI.

De Theologia Christiana a saec. X. usque ad integrum XV. ubi de Scholastica.

60. ADveniente saec. XI. disciplina Trivii, et Quadrivii, praecedenti saec. pene obsoleta, caepit paulatim reviviscere. In Dialecticam tamen hoc, et sequentibus saeculis animum praecipue intenderunt Theologi, adeo ut saeculum hocce *Dialecticum* appellaretur. Tunc igitur haec duo simul conjungere satagebant, scientiam Scripturarum secundum Patrum, aliorumque explanationem, et Dialecticae peritiam, quae sola tunc erat tota Philosophia. Inter ceteros hoc saeculo insignetur refulserunt S. Fulbertus Carnotensis (Chartres) Episcopus Benedictinus, quem Trithemius dicit in disciplinis humanis, et sacris sui temporis omnium doctissimum; et de eodem Jotsaldus ita scribit: *esse sanctitate laudabilem, in sapientia mirabilem, in cujus morte studium Philosophiae perierit, et gloria Sacerdotum penè ceciderit* (apud Mabill. saec. VI.). S. Anselmus item Benedic. Archiepiscopus Cantuariensis (Cantorbery) in Anglia, qui multa, et eximia Opera evulgavit, praesertim de Trinitate, et Incarnatione contra Roscelinum Compendiensem Presbyterum

subtilissimum Dialecticum, et a Secta Nominalium, et ab erroribus celebrem. De Anselmo ait Mabillonius (de studiis Monasticis par. 2. C. 6. p. 285.), primum fuisse, qui Theologicum argumentum scholastica methodo tractarit, sed jam constat, ipsum praecessisse Lantfrancum, aliosque. S. Bruno Coloniensis, et Scholarum magister, cui multa tribuuntur Opera, quae tamen Eruditi altero S. Brunoni Astensi Episcopo Signiensi adjudicanda esse defendunt, praeter duas Epistolas ex eremo Calabriae scriptas ab eodem, unam ad Rodulfum Viridem, alteram ad Majoris Carthusiae incolas. Circa hujus saeculi medium Berengarius peritissimus Dialecticus Transubstantiationis dogma aggressus est; cujus tanta erat dicendi copia, tantumque ingenii acumen, ut difficulter posset confutari. Refutarunt illum tamen pro merito Hugo Lingonensis, Durandus Troarnensis, Gitmundus, Algerus, praecipue vero Lantfrancus Beccensis Abbas vir doctissimus, qui in dialectica arte non minus, quam Berengarius, valebat.

61. Saeculum quoque duodecimum felicioribus auspiciis incaepit; sed cum nonnulli Dialectica intemperantius uterentur, ejusque, et Metaphysicae principiis divina Mysteria, quae sola locutione constant, explicare conarentur: plurimi inde, gravissimique errores emersi sunt; Abaelardi, nimirum de Trinitate, de Christo, et de gratia male sentientis, Arnaldi Brixiensis, Gilber-

berti Porretani, Almarici, Davidis de Dinanto, aliorumque perniciosissima placita, quae a Patribus, et Conciliis postmodum damnata sunt. Nec hujus mali caussa fuit Dialectica illa jam vetus, quae sub D. Augustini nomine tradebatur; sed multò magis hoc grande malum promovit auxitque Dialectica Aristotelis, quam vulgatae illi statim anteposuerunt, simulque Porphyrii Metaphysica. Cum etenim post medium saeculi XII. nonnulli Aristotelis libri Physici, Dialectici, et Metaphysici, partim ex Arabo, partim ex Graeco conversi, ad Parisienses scholas pervenissent: in hanc praesertim Philosophiam plerique animum intenderunt, eamque velut sacram Bibliam excolere aggressi sunt, licet id emunctae naris viri tam aegre tulerint, et eos publice fuerint detestati. Eo usque autem hujus saeculi insania philosophica Theologorum excrevit, ut Concilii Senonensis decreto sancitum fuerit, Physicos, et Metaphysicos Aristotelis libros igni esse comburendos, nec quempiam deinceps eos legere, vel attingere auderet. Hoc tamen non obstante plurimi systemata Theologica dialecticis, et metaphysicis quaestionibus redundantia Parisiis condiderunt sub nomine Sententiarum, ut Guillelmus de Campellis, Petrus Abaelardus, Simon Tornacensis, Gilbertus Porretanus, Petrus Pictaviensis, Hugo de S. Victore, Rubertus Pullus, et Petrus Lombardus. Hic tamen ultimus ceteris moderatior fuit, qui a subtilitatibus me-

metaphysicis, quantum per consuetudinem fieri potest, abstinuit. Bona insuper, et systematica utitur methodo Magister Sententiarum. Attamen Lombardus dialecticas, et metaphysicas quaestiones multas, varias, et curiosas suis immiscuit sententiis, ut ex. gr. *Utrum Deus Pater seipsum genuit: an alium Deum. Num Pater genuerit essentiam divinam, an essentia Divina Filium. An una essentia alteram produxerit; an vero essentia nec producta sit, nec producens. An Christus secundum quod homo, sit persona vel aliquid. An divina natura debeat dici nata de Virgine. An Christus sit creatura, vel creatus, vel factus*. Et hoc ab Historicis Ecclesiasticis Theologiae Scholasticae initium vocari solet, quod sequenti saeculo complementum obtinuit. Quandoquidem haec tractandi Theologiam methodus, et ratio in ceteras orbis Christiani partes ex Parisiensi Schola diffusa, et ab omnibus avide excepta est. Parisiis vero tanta erat Lombardi opinio, ut ejus scripta omnes libenter abriperent, legerent, explicarent, et juventuti in scholis tradenda properarent.

62. Hoc unum tamen sciendum est, sub hac aetate Scholasticam Theologiam nondum in artis formam fuisse redactam, neque Peripatetica methodo tractatam. Id mali Theologiae accessit initio saeculi XIII, cum Averroesii libri ex Arabo conversi Christianis innotescere caeperunt, qui tanto ardore eos lectitarunt, ut omnes fere Scholastici, Itali

prae-

praesertim, evaserint Averroesiani. *Ex quo tempore*, inquit Antonius Vernejus, *quasi diluvium quoddam subtilitatum, et metaphysicarum contentionum Scholas inundavit, quod progressu temporis in immensum excrevit*. Quod neque Pontificum Sanctiones, neque Conciliorum Decreta, neque piorum Theologorum querimoniae vel minimum retardare potuerunt. Siquidem cum suo Aristotele, et Averroesio desipientes, solida, bonàque Theologia neglecta, inanibus tantum subtilitatibus operam dabant Theologi, idque obscura, et implicata ratione. Hoc unum dixisse sat erit, post Albertum M., qui primus in sententias Lombardi commentaria conscripsit, plusquam 300. Theologos ipsum Lombardum varie, ac varie esse interpretatos. Ab hac miserrima philosophandi ratione excipite S. Bernardum Claravallensem Abbatem, mortuum an. 1153. qui sapidè, ac devote multa scripsit, et solide Abaelardum, Petrum Brusium, ejusque discipulum Henricum confutavit.

63 Huic tàm grandi Theologiae perniciei ultra medium saec. XIII. fortiter obstiterunt S. Thomas Aquinas Dominicanus, et S. Bonaventura Franciscanus. Ille praeterea, quae scripsit in sententias Lombardi; Libros exaravit contra Gentiles, Summam Theologicam composuit in tres partes divisam; quarum alteram in alias duas divisit partes, nimirum in *primam secundae partis*, et *in secundam secundae*. In prima parte agit de Deo, ejusque proprietatibus, de Trinitate, de bea-

beatitudine, ceterisque. In prima secundae de ultimo hominis fine, de humanis actionibus, earumque fontibus, de virtutibus, et vitiis, de lege et gratia. In secunda secundae de virtutibus singulatim Theologicis, et moralibus. In tertia parte de Incarnatione Verbi, de Sacramentis, ac de rebus novissimis hominis disserit. Disputandi ratio, qua Thomas est usus, talis est: Scripturae, et Patrum testimonia adhibet in firmandis quaestionibus, easque insuper confirmat, ubi locus est, metaphysicis rationibus, et Philosophorum placitis, temperanter admodum pro temporum consuetudine. Tandem controversias nonnullas subtiles, et intricatas de rebus divinis adjungit, quas secundum illius temporis Arabicum morem exponit, et solvit: recte tamen, ac sapienter: adeout Sixtus Senensis ipsum dicat Scholasticae Theologiae restauratorem (Bibliot. sanct. l. 4.). Iste, inquam, S. Bonaventura, praeter Commentaria in lib. complures S. Scripturae, et alia Opera multa, scripsit *in quatuor sententiarum libros*; quod Opus a scholae studiosis summo in pretio est habitum. Porrò Bonaventura a dialecticis disputationibus multo plus, quam ceteri, abstinet, et Averroesianam philosophiam non probat. De illo ait Trithemius (de Scrip. Eccles. c. 446. p. 113.) *Profundus non verbosus; subtilis, non curiosus; disertus non vanus, flammantia, non inflantia verba proferens: unde et securius legitur, facilius ab amante intelligitur, dulcius, et fructuosius retinetur.*

64. Ab hoc tempore Theologi in tres classes divisi abjerunt. Nonnulli libros sententiarum Lombardi explicabant; et hi *Sententiarii* sunt dicti. Alii vel novas Summas exarabant, vel illam Aquinatis ad verbum sequebantur, eam commentariis exponentes; idcirco *Summistae* dicti. Quidam de systemate illo non cogitantes, de variis Theologiae quaestionibus in utramque partem Academicorum more disputabant, libertatem adversariis facientes, quam magis liberet, sententiam confutandi, vel amplectendi; et hi sunt *Quodlibetarii*, quorum Antesignanus putatur Gualterius Episcopus Pictaviensis, quem Aquinas quoque imitatus est. Et haec de saeculo 13.

65 Ineunte vero saeculo XIV., Joan. Duns Hibernus, ob summam in disputando subtilitatem Scotus dictus ex Ord. S. Francisci, cum Parisiis publicè Theologiam doceret, sibi proposuit, Thomae, Bonaventurae, aliorumque argumenta, et conclusiones ad incudem revocare, et quae sibi videbantur infirma, subtilioribus argumentis refellere. Cum autem pro Thoma jam multi decertarent, factum hinc est, ut acres disceptationes suscitarentur utrimque inter Scholasticos, quae plura per saecula duraverunt. Et en Thomistarum, et Scotistarum origo; qui enim erant ex parte Thomae Thomistae, qui Scoto adhaerebant, Scotistae vocari caeperunt. Quid autem ex hac Theologorum pugna? Eo usque metaphysices subtilitates excre-

excreverunt, ut ex una disputatione quamtumvis expernenda innumerae genitae sint, et absque fine productae; et cum neuter alteri palmam cedere pertinaciter vellet, nec rationibus, nec conviciis flecti: nullus erat contentionis modus, nullus profecto disceptationum finis: tantum praestantissimus habebatur, qui nova invenire, nova parere, quive a nemine, nisi post longum laborem, percipi potuisset. Heu! misera philosophandi ratio!

66. Malo malum accessit, et abyssus abyssum invocavit; has enim contercationes prorsus Theologis indignas mirum in modum auxerunt duo illi celebratissimi viri, Guillelmus Durandus a S. Porciano, qui Thoma dimisso, adversus eumdem stylo scripsit acriori, et sine ullo duce philosophari aggressus est, et Guillelmus Okam Franciscanus, qui similiter Bonaventura, et Scoto post habitis, Sectam restauravit Nominalium, eamque placitis Doctoris sui Scoti, qui a Realibus erat, opposuit. Ex quo tempore inter Reales, et Nominales tam acres, tam vehementes, ac diuturnae contentiones excitatae sunt, ut ad convicia usque, et verbera exarserint. (Consulite Aventinum in Annalib. l. 4. p. 624.) Contingebant haec circa medium saeculi XV. Hic tamen finem non accepit misera illa res divinas pertractandi ratio, sed in finem usque saeculi XV. perduravit, et amplius; quodque prioribus acumine, et altercationibus redundantius fuisse probatur. Omnes enim diale-

eticis argutiis operam navantes, quisquis ingenio suo novas opiniones pro inani captanda gloria indesinenter excogitabat; et dum plurimi, Thomae praesertim, et Scoti Sectatores in Praeceptorum verba jurant, eosque defendunt: difficile dictu est, quanta eisdem impegerint indigna, quae ipsi neque somniarunt. Tunc indigna multa, et portentosa monstra sub Theologica porticu locum habuerunt; et ut de erroribus sileam, haec, et similia ingenia Theologorum vexabant: an Corpus Christi potuerit esse in Eucharistia ante Incarnationem eodem modo quo nunc est? an Filius Dei fieri potuerit foemina? An assumere potuerit naturam bovinam, vel asininam? Cujus generis sit Spiritus Sanctus? Quomodo Corpus Christi in Coelo locatum sit? An Sacramenta sint in aliquo praedicamento? (praeter ea, quae jam movit Lombardus, ut supra retulimus). An asinus bibere possit Baptisma, aliaeque infinitae hujus generis controversiae, quae Haereticis occasionem praebuerunt sacrosancta fidei mysteria irridendi, et nostros audacius, et felicius impugnandi.

67. Cum igitur plerique omnes in Occidente Scholasticam fuerint amplexati, qui ceteris doctrina praestabant, Lombardum interpretabantur; qui vero ex suo aliquid condere cupiebant, vel de re speculativa, vel morali Summas lucubrabant. Id saec. XIII. fecerunt Guilelmus de Siliniaco, B. Raymundus de Pennafort, Huldericus, Hostiensis, Gandavensis. Saec. XIV. Astesanus, Monal-

dus, Alvarus, Pelagius, Bartolommaeus a S. Concordia. XV. S. Antoninus, Baptista Salvis, Trovamelis, Angelus a Clavasio, Pacificus Novariensis, aliique, quibus addi potest Joannes Teutonicus, qui e Summa D. Thomae, Hostiensis, S. Raymundi, aliorumque suam delibavit. Adhuc tamen nonnulli fuerunt, qui Polemicae Theologiae operam dederunt. Recensentur saec. XIII. S. Thomas Aquinas in Summa contra Gentiles, contra errores Graecorum, et contra Saracenos. XIV. Guido de Perpignano, et Pelagius. XV. Paulus Burgensis, Hieronymus a S. Fide, Porchetus de Salvaticis, Alphonsus de Spina, aliique, et hi adv. Judaeos. Saeculo eodem Wikleffianos, et Hussianos confutarunt; alii vel contra Graecorum errores, vel in Concilii Florentini defensionem libros compilarunt. Habetur ex Graecis Georgius Trapeziuntius et Scholarius, Josephus Methonensis, Protosyncellus, Bessario Card., Isidorus Thessalonicensis. Etiam in Hermeneutica, seu enarratione Scripturarum nonnulli per id tempus Theologorum adlaborarunt, quorum nomina hic dare abstineo, quoniam jam conscripta Lib. I.; clariores autem sunt Hugo de S. Caro, Nicolaus de Lyra, Dionysius Cartusianus, Alphonsus Tostatus.

68. Infelix tamen illa, quam supra retulimus, philosophandi methodus, quae in scholis Occidentalibus tam late obtinuit, in Oriente non recipiebatur; nec prius ad eos pervenit Aristotelis Philosophia, eaque magis

gis pura, et incorrupta, quam circa extrema tempora Orientalis Imperii, quod cecidit an. 1453., quando scilicet Mahumetes II., CP. capto, totum Imperium transiit ad Turcas. Hoc totum clare eruitur ex Hist. Orientali, et ex Graecis Scriptoribus, praesertim ex Panoplia adv. Haereticos Euthymii Zigabeni, qui floruit sub initio saeculi XII., ex Constantino Hermenopolo in suo lib. *De opinionibus Haereticorum, qui singulis aetatibus extiterunt*; ex Niceta Acominato in thesauro Orthodoxae fidei, in quo vir doctissimus haereses omnes mirifice debellat. Vixit saeculo XIII. Fuerunt etiam ex Graecis, qui, non Scholasticorum more, sed antiquorum Patrum methodo, Catenas condiderunt. Ita Nicetas, Andreas, Macarius, Aretas, Theophylactus, Euthymius. Verum tamen est, Graecorum nonnullos, et ante Concilium Lugdunense II. an. 1354. et post ipsum usque ad Florentinum saec. XV. coactum, ineptias multas, et errores adversus Latinos defendisse (Legant. Leo Allatius de Occiden. et Orien. Ecclesiae consensione, et Fabricius Bibliot. Graec. l. 5. C. 43. et seq.).

69. Quamquam igitur in Occidente Theologi in acutis, inanibusque quaestionibus tempus insumerent: saeculo tamen V. viri nonnulli emunctae naris inventi sunt, qui naevos hujusmodi agnoscentes, infelicem illam philosophandi rationem projecerunt. In his emicuere Joannes Gerso Cancellarius Parisiensis Universitatis, et Nicolaus Clemangius, alii-

aliique, qui de Dogmatica, de Morali, aliisque sobrio calamo disputarunt, et ad pristinum decus Theologicas scholas revocare conati sunt. *Miror*, inquit praefatus Nicolaus, *Theologos nostri temporis paginas Divinorum Testamentorum ita negligenter legere, et nescio qualium sterilium subtilitatum indagine sua ingenia conterere*; *et*, ut ait Apostolus, *languere circa quaestiones, et pugnas verborum: quod Sophistarum est, non Theologorum* (Ms. de instituendo Theol. studio apud Launojum.). Gerso autem, postquam Theologis sui temporis ridiculam illam, et phantasticam philosophandi rationem exprobraverit (Lect. 8. in Marcum), subdit: *At vero quaeret aliquis, quales materiae dicendae sint propriè, et pure Theologiae? Respondeat non ego sed Augustinus, quod illae, per quas fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Fides, Spes, et Charitas quemadmodum solum nominantur, et sunt virtutes Theologicae: ita materia illa proprie dicenda est Theologia, quae Fidem aedificat, Spem erigit, Charitatem inflammat. Propterea poenitentibus dictum est, ut non conquirant dispositionem orbis terrarum, et coeli, et syderum: Poenitemini, ait, et credite Evangelio* (T. I. lect. 2. cont. vanam Curiosit. Cons. 4.).

70. Alia ratio extrinsecus accessit, cur barbara illa philosophandi ratio sensim mutari caeperit in scholis. Cum etenim saeculo XV. Latini cum Graecis, Wikleffianis, et Hussitis rem haberent: coacti sunt Scriptu-

ptu-

pturam, Traditionem, et Patres consulere, tandem intelligentes, nonnisi ex hujusmodi fontibus veram Theologiam posse hauriri ad confutandos errores, quos ex illis fontibus cudebant Ecclesiae inimici. Ex quo etiam factum est, ut Graecam linguam nonnulli excolerent, cujus intelligentia veras responsiones ex Graecis Patribus educere potuissent. Hac tamen aetate Casuistae ferme omnes nati sunt, quorum multi inutilibus quaestionibus, et opinionibus intollerandis moralem facultatem temere foedaverunt: cui malo RR. Pontificibus occurrere necesse fuit. Consulite Dupinum Bibliot. Auct. Ecc. T. 12. C. 4.

71. Licet autem Scholastici ex Aristotelis philosophia omnes disputarent; pro diversis tamen principiis, quae illi, et isti ponebant, diversae Scholae enatae sunt. Quatuor habentur celebriores, nempe Thomistica, Scotistica, Moliniana, seu Jesuitica, et Augustiniana, quaelibet ab Inventore suo ita appellata; Thomistica, nimirum, a D. Thoma Aquinate, Scotistica a Joanne Duns Scoto, tertia a Ludovico Molina Jesuita Hispano, qui vixit saeculo XVI. ultima a S. Augustino, hoc est ab iis, qui proximis duobus saeculis Augustini doctrinam illustrarunt. Et en transitus ad posteriora saecula.

CAPUT VII.

De Theologia a saec. XVI. usque ad nostrum XVIII.

72. POst nubila foebus. Multa profecto, et ultra mensuram, praecedentibus saeculis, ut jam vidistis, vane, inutiliter, exitiose a christianae Theologiae Magistris dicta sunt, disputata, conscripta, nimio profanae philosophiae amore. Ast ex quo Philosophia quasi per gradus e tenebris egressa est, et ad meliorem lucem evecta, etiam Theologia ipsa suae dignitati sensim restituta est, et validioribus armis contra hostes fidei se communivit: quod remanet dicendum.

73. Circa igitur medium saeculi XV., et saeculo XVI. christianorum Theologia, Dogmatica praesertim, et Polemica, restaurari caepit, usque dum subsequentibus saeculis ad perfectionem proveheretur. Ex tunc enim in singulis Scholis accurati, et exculti Doctores successive emicuerunt. En tibi ex Scotistica schola Franciscus Macedo, Poncius, Mastrius, Frassenius, Du-Pasquier, Franciscus Horantius. Ex Augustiniana Christianus Lupus, Norisius Card., la Fosse, Belelli, Gavardius, Piette, Casalius, Cl. Berti. Ex Thomistica Alvaresius, Gonetus, Contensonius, Gottius Card. Ex Jesuitis Bellarminus Card., Suaresius, Tannerus, Montemajor, Lessius, et alii, extra Ordines hujusmodi. Scholae autem praedictae in fidei,

et

et morum regula tenenda omnes mirifice consentiunt, et quoad modum tantum, seu rationem rerum explicandarum differunt inter se. Cardo autem discordiarum versatur circa gratiam Christi, nempe circa concordiam gratiae, et liberi arbitrii, ut unicuique praefatos Auctores legenti apparebit. Si quis vero integram Scholasticorum historiam noscere cupit, praeter eos, qui de *Scriptoribus Ecclesiasticis* pertractant, ut sunt Caveus, Warthonus, Dupinus, Oudinus, (qui tamen omnes caute legendi sunt, vel quia Protestantes, vel quia eorum Opera prohibita sunt), Natalis Alex., legat Religiosorum Ordinum Historiae Compilatores, nam ferme omnes ex his Scholastici profecti sunt. Jacobus Quetif, et Jacobus Echard agunt de Dominicanis; Wadingus de Minoritis, seu Franciscanis; Mabillonius de Benedictinis in Actis Sanctorum, et in Annalibus. Quibus addi potest Bulaeus Hist. Univers. Parisiens., ubi illustriores Academicos recenset.

74. Per id tempus alia gravissima accessit caussa, quare Scholastici Theologi, posthabitis nugis, vanisque subtilitatibus, ad graviora Theologiae studia, se converterent ex animo. Postquam, etenim Martinus Lutherus suos impios errores disseminasset, novum Testamentum plurimis in locis interpolatum Germanice edidisset, eidemque unicum sensum tribueret, literalem nempe, et hujusmodi translatio nedum a Doctoribus,

qui Luthero adhaeserant, sed etiam a foeminis avide legeretur, et memoriae mandaretur, adhibitis etiam per Melancthonem, Zuinglium, Oecolampadium, et Bucerum politioribus linguis, et linguarum sacrarum intelligentia: factum est, ut Scholastici nostri tamquam vani sophistae irriderentur a Lutheranis, eorumque Scholasticam Theologiam ignorantiam dicerent, inanemque fallaciam (Lutherus lib. adv. Jacobum Latomum, et Melancthon Apolog. contra Parisienses). Hinc Scholastici, ut injuriam non prorsus falsam a se repellerent, a somno vanae sapientiae excitari caeperunt. Crevit tamen sub initio pugnae nostrorum contemptus, quia nonnulli non ita feliciter, scholasticis illis adjumentis suffulti, in Lutherum scripserunt, ejusque errores, et sophismata potius detexerunt, quam confutarunt. *Nam quo tempore* (inquit Mechior Canus ex Ord. Praed., Epis. Canariensis, et nobilis Scholasticus saec. XVI.) *adversum ingruentes ex Germania haereses, oportebat Scholae Theologos optimis esse armis instructos, ea nulla, prorsus habebant, nisi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ita irrisi sunt a plerisque, ac merito irrisi, quoniam verae Theologiae imaginem nullam tenebant, umbris utebantur, et utinam eas ipsas secuti essent. Quocirca homines verbo tenus in Theologia Magistri, pugnavere illi quidem adv. Ecclesiae inimicos, sed valde tamen infeliciter. Errabant illi autem a principio studiorum suorum.*

Cum

Cum enim facultates eas, quae linguam expoliunt, mirum in modum neglexissent; cumque sese in Sophistica arte torsissent diutius; tum demum Theologiam aggressi, non Theologiam, sed fumum Theologiae sequebantur. Nam cum rem perditam sua restituere auctoritate deberent, tempori, ut inquiunt, servientes, non modo sophismata non profligarunt, verum etiam auxerunt. Quae nimirum cum a Philosophia, tum vero magis a Theologia tollenda sunt. Vera sunt haec. Ast non novum, quod nedum Lutherani, sed etiam Sacramentarii, Anabaptistae, Anti-Trinitarii, seu Sociniani, qui saec. eodem nati sunt, nostros irriserint; quoniam multa per calumniam in Catholicos Doctores effuderunt, quae prorsus falsa erant, multaque etiam in pravos sensus detorserunt, quae aliter a Scholasticis fuerant prolata: mos hic est Haereticorum, omnia ad suam ipsorum perditionem depravare.

75. Cum igitur gravissimi Theologi animadverterent, dialecticas argutias impares esse ad impudentissimos Haereticos confringendum, ad Scripturae testimonia, Ecclesiae perpetuam traditionem, Patrum auctoritatem, et rectam rationem sedulo, et properanter compulsi sunt animos revocare. Hanc ipsam necessitatem senserunt quoque Tridentini Patres, praecipientes, ut haec disputandi via inviolabiliter teneretur in scholis, nempe; *Primum ut sententias ex Sacra Scriptura sumerent* (*Theologi*), *et traditionibus Apostolicis, et Conciliis probatis, et Constitutionibus PP.RR.*,

 et

ex SS. PP., *et ex consensu Ecclesiae Catholicae*. *Deinde ut breviter inde facerent*, *semotis inanibus*, *et supervacaneis quaestionibus*, *et clamorosa contentione*. (Ita Pallavicinus Card. in Hist. Con. Trid. l. 12. c. 1. et 10.). Hinc factum est, ut in bona Theologia valde exercitati, plurimi, et nobiles Scholastici statim emerserint, Augustiniani, Dominicani, Franciscani, Jesuitae, ceterique extra scholas hujusmodi.

76. Ut autem omni ex parte adversus hostes se munirent Theologi, ipsisque opportune parati occurrere valerent, nedum bonam Theologiam ediscere satagebant; verum principio linguae Graecae, et Hebraicae, sine quibus Theologia manca est, et elinguis, operam dabant. Deinde sacros Codices emendatiores ediderunt, ac etiam Polyglottas ornarunt, quod Sanctes Pagninus fecit, Arias Montanus, aliique; tum Ecclesiasticam historiam excoluerunt, quod prae ceteris praestitit Baronius Card. Annalium Ecclesiast. Parens, qui eosdem eo consilio edidit, ut Centuriatoribus Magdeburgensibus occurreret: postea in hoc ipso secutus, et illustratus a Raynaldo, a Pagio, a Mansio, aliisque. Ad ultimum tandem sacras Literas, et Doctorum scripta, ut inde argumenta promerent, diligenter pervolutare curarunt. Et quoniam saeculo XVI. non hoc, aut illud dogma, sed ferè omnia in dubium revocabantur ab Haereticis; operam dederunt Theologi nostri, ut singula illustrarent, novis firma-

marent rationibus, ut ea ab hostium aggressione defenderent: quare facetè, et ad rem dixit Joannes Major Theologus Parisiensis : *Lutherus hoc tantùm boni suos inter errores intulit, ut sacris Literis, et illarum illustrationi Theologi Professores sinceriùs insudarent, et aliena studia rejicerent* (In Epis. praeced. L. 2. Sent.). Alii namque desudarunt in iis condendis, quibus Theologus sua desumit argumenta ad adversarios refellendos; quod prae ceteris fecerunt Franciscus Horantius Minorita, et Melchior Canus Dominicanus, ambo in Conc. Tridentino Theologi, quorum uterque egregium Volumen edidit, et quidem eleganti, et erudito stylo exaratum *De Locis Theologicis*; Jacobus Paiva Andrada Lusitanus, vir doctissimus, *in sua defensione Tridentinae fidei Catholicae* adv. Novatores, qui item disputat de auctoritate Concilii Generalis, Scripturae, Traditionum, Libr. Canonicorum, Latinae, Vulgatae, de peccato originali, et de Conceptione Virginis; quibus addi potest Gregorius de Valentia Jesuita *in Analysi Fidei Catholicae*. Patres quoque Tridentini curarunt, ut Compendium Universae Theologiae Dogmaticae, quod Catechismum vocarunt, diligentissime conscriberetur, quo Christiani instrui possent, et muniri adversum errores; quod paulo post in lucem prodiit, opera praesertim S. Caroli Borromaei. Nonnulli Scholasticam Theologiam accuratius pro temporis conditione tractarunt, ut Sylvius, et Estius. Alii Polemicam nova methodo,
et

et ordine pertractatam vulgarunt, ut Bellarminus, Perronius Cardinales, Pighius, Becanus. Alii in condendis Catechismis adlaborarunt, ut Petrus Canisius, Bellarminus, Costerus, Granatensis, aliique.

77. Postremis autem duobus saeculis alia, et haec gravissima caussa Theologos nostros incitavit ad bonam Theologiam excolendam, perficiendamque. Cum etenim Haeretici intelligerent, Catholicos multum habere praesidii in Patrum auctoritate; operam omnem fecerunt, ut Patrum sententias infirmarent, traducerent, detorquerent. Ex Lutheranis id praestiterunt Balthasar Bebelius, Antonius Corvinus, Antonius Reisterus, Mayerus, et alii. Ex Reformatis, vel potius ex Pseudo-Reformatis Scrivenerius, Wotonus, sed praecipue Joannes Dallaeus, qui PP. auctoritatem elevare contendit. Quod ipsi tanta eruditionis copia, verborum, ac sophismatum apparatu, vel potius tanta errorum ubertate, et varietate efficere adorti sunt, ut nil magis possit excogitari: itaut nedum tyrones, sed etiam exercitatissimos viros decipere potuissent. Nec minora cónamina emittebant Calvinistae eodem tempore in Galliis nati. Quibus nostri ut resistere e regione valerent, Veterum monumenta exquirere aggressi sunt. Perquisierunt itaque Mss. Patrum, veros a supposititiis libros sejunxerunt, singulorum sensum perscrutati sunt, et interpretationibus illustrarunt, ut eos tyrones feliciter, et securius legere, et intelli-

li-

ligere possent: Ita Cotelerius Apostolicas Constitutiones, Velesius Eusebium Caesariensem, Petavius Epiphanium, Pomerius Tertullianum, Feverdentius Irenaeum, La Quien Damascenum, Huetius Origenem, Sirmundus Theodoretum, Ducaeus utrumque Gregorium, Nazianzenum, et Nissenum, Basilium, et Chrysostomum. Nonnulli Bibliothecam Patrum efficere adorti sunt, praesertim Monachi Benedictini in Gallia, et alibi. Nonnulli etiam, ut Tyrones ad Patrum studium praepararent, illorum Apparatum condiderunt, ut Nourry, et Honoratus a S. Fide. Alii vero in Conciliis conscribendis, edendisque plurimum adlaborarunt; prae ceteris laudantur Labbeus, Sirmondus, Aguirre, et Bail. Nonnulli, praeter Baronium, aliosque quos supra retulimus Historiam Ecclesiasticam cum laude prosecuti sunt; ut Godeau, Natalis Alex. Dupinus, Tillemontius, Fleurius, ceterique. Alii antiquitatem Ecclesiasticam eleganter, et fusè exposuerunt; ita Martene, Gavantus, Ducaeus, Fleurius, Thomas Maria Mamachius. Plerique tandem dogmata nostra, resecatis nugis, et argutiis vanis, ordine conscripserunt, quemadmodum Petavius, Natalis Alex., Frassenius, Du-Hamel, Thomasinus, Bouchatus, Liberius a Jesu Carmelita Discalceatus, Laurentius Bertius, Honoratus Tournely, Carolus Witasse, aliique permulti, quorum nomina vulgata sunt jam satis: quibus addi possunt, qui Epithomas ediderunt ad usum Seminariorum, ut

Ju-

Juveninus, Habertus, l' Herminier, ac praè ceteris Carolus de Plessis. Silemus de Summistis, et Casuistis, quos licet Bellarminus de *Scriptor. Ecclesiast.* tantum recenseat 12. usque ad an. 1550., attamen in praesentiarum adeo excrevit eorum numerus, ut ad calculum vix possit revocari. Ex quo factum est, ut universa Theologia ad illam perfectionem, et splendorem, in quibus nunc est, pervenerit. Et haec de ortu, vicissitudinibus, progressu, ac perfectione dicta, conscriptaque sufficiant. Addemus modo nonnulla, quae ad rectè disputandum plurimum conferunt, et sine quibus nullus forte optimus erit Theologus: quod brevitatis causa per regulas quasdam praestabimus.

CAPUT VIII.

De regulis, ac praeceptis, quae Tyronibus Juvenibus sunt ad rectè disputandum necessaria.

REGULA I.

Revelata Theologia iis omnibus, qui vel populos docere, aut cum hostibus fidei rem habere volunt, prorsus necessaria est. Hujus regulae prima pars ex eo patet, quia non aliter fidei dogmata alios edocere possumus, et suadere fidelibus, nisi prius ea labore improbo nobis comparaverimus. Quare ajebat Apostolus, Episcopum (quod et de Presbyteris debita proportione dicendum) oportere

tere esse Doctorem, qui scilicet: *Ab infantia sacras Literas didicerit, et in lege Domini die, ac nocte meditetur* (2. Timot. c. 3. v. 15.) *Ut potens sit fideles exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (subdit Apostolus ad Tit. c. 1. v. 9.). Neque ad id assequendum accomodatius quid potest adinveniri, quam sacrae Literae, eodem Apostolo teste (2. ad Tim. 3. 16.) Etenim *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Utinam haec satis intelligant Magistri Israelis, Verbi Dei Praecones, et Confessarii.

Altera pars suadetur ex eo, quia Haeretici contra nos pugnant ut plurimum Scripturarum testimoniis ex utroque Testamento desumptis; *quae tamen* (ajente Petro 2. c. 3. v. 16.) *indocti, et instabiles depravant .... ad suam ipsorum perditionem*. Judaei vero Veteris Testamenti auctoritati fidunt: quare armis iisdem instructos oportet nos esse, ut eos prosternere, et funditus labefactare possimus; qui nisi fuerint fortiter repercussi, magis insolescunt.

REGULA II.

UNa est revelata Theologia, et tantum pro varia, qua traditur, methodo, vel Positiva dicitur, vel Scholastica. Suadetur: nam tum

tum Positiva, tum Scholastica iisdem principiis revelatis utitur, et ex iisdem fontibus, quos infra dicemus, sua promit argumenta. Porro varia sortitur nomina pro diversa tradendi methodo, nempe si rem fuse persequitur, Positiva dicitur, si presse; et strictim syllogisticae formae adjutorio, Scholastica nominatur.

REGULA III.

S*Tudium germanae Scholasticae a Peripateticorum argutiis semotae modo est necessarium*. Demonstratur: genuinae siquidem Scholasticae triplex munus est, inquit Melchior Canus (de loc. Theolog. l. 8. c. 2.): *Primum est, ex rebus a Deo revelatis vel scripto, vel voce conclusiones in iis latentes elicere, et in aperto ponere: alterum Christi, et Ecclesiae doctrinam humanis disciplinis illustrare, aut etiam confirmare: tertium fidem nostram adversus Haereticos, ceterosque adversarios defendere*. Diximus autem *semotae* ab argutiis Peripateticorum; nam Peripatetica scholastica in quaestionibus acutis excogitandis, disputandisque tota detinetur: quaeque proinde cum nonnisi speciem Theologiae habeat, ad adversarios fidei, ut satis patet ex dictis, debellandos inutilis est: non sic illa. Quapropter quam libenter damnant viri docti Peripateticam; tam prompte laudibus extollunt bonam Scholasticam. Consulite ex nostris Ludovicum de Corvajal virum doctissimum

simum, qui Tridentino interfuit, Alphonsum a Castro, Christophorum a Capite Fontium: Ex Dominicanis Canum, Sanctem Pagninum, Contensonium, Gottium: Ex Augustinianis Laurentium a Villavincentio, Bertium: Ex Jesuitis Salmeronem, Maldonatum, Possevinum, Elizaldum, Petavium: Ex Clero saeculari Hamelium, Tournelyum, Witassium, viros doctissimos, qui omnes extemplo fatentur, contortas Scholasticorum subtilitates, ex Peripatetica philosophia desumptas, ineptas esse ad Theologiam nostram illustrandam, et ad Haereticos refellendos parum, aut nihil valere. Hinc nullo negotio Tyrones mei ad concordiam revocabunt tum viros doctos, tum ipsa Concilia, quae modo laudant, modo vituperant Scholasticam Theologiam: modum quaerunt in rebus; vituperant inanem Peripateticam; laudant bonam Scholasticam. Patres item ad concordiam adducent, qui nunc Dialecticam respuere, nunc eam amplecti, et laudibus extollere videntur in fidei disputationibus; quique proinde Sophistarum cavillationes, quas priorum saeculorum adhibebant Haeretici, rejiciunt, utilem Dialecticam venerantur.

REGULA IV.

Non decet viro Theologo illum, aut istum Doctorem ita sequi in Scholasticis disputationibus, ut jurare videatur in verbo Magistri

gistri. Hujus regulae multiplex demonstratio: Unus Deus, unus Christus Jesus humani generis Restaurator, una revelata Religio: in regula ergo fidei omnes Ecclesiae Magistri conveniant, necesse est; et qui ab hac regula vel minimum discedit, Haereticus est. Huc respiciunt verba Christi: *Unus enim est Magister vester... Nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus* (Matth. C. 23. v. 8.). Christum ergo sequi Magistrum nostrum, non libertas est, sed necessitas, non obsequium, sed debitum.

In iis autem placitis, quae absque religionis detrimento adhuc possunt disputari: hunc, aut illum Doctorem, hanc, aut illam Scholam more caecorum, et jurate prosequi, ipsa ratio demonstrat, hunc morem indignam esse servitutem. Qui enim hoc modo alium sequitur, non quod ipse sentit, sed quod alii dixerunt, amplectitur; non rationem sequitur, sed hominem more pecudum; non ingenii sui exerit vires, sed aliorum cogitata, et dicta pro veris habet. Res pateat exemplis: incredibile putavit Augustinus, subter nos ex adverso extare Antipodes: et ego idipsum sentiam, quia Augustino ita visum est? Docuit Augustinus, mundum hunc non sex dierum spatio conditum fuisse a Deo, sed in instanti, hoc est una tantum die omnia fuisse creata. Forte non licuerit Theologo ab hoc placito recedere, et aliter, ac aliter sentire? sicque de aliis placitis bene

ne multis dicito, quae in Patribus, Interpretibus, summisque Theologis passim invenies. Sentiunt Thomistae Sacramenta physice producere gratiam; moraliter e contra Scotistae. Docent Thomistae cum magistro suo, formalem Sanctorum Beatitudinem in sola Dei visione esse repositam; e contra vero Scotistae cum D. Bonaventura in visione simul, et fruitione Dei eam consistere defendunt: si ergo Thomistis, et Scotistis in his, aliisque sexcentis placitis datum non sit aliter sentire, aliter docere, aliter disputare, etiam dum intrinseca ratio aliud suadet: nonne ipsi sibi durum servitutis jugum imponunt? Alia accedit ratio, quia ex hac nimia adhaesione Theologi non semel in mutua odia exarserunt, nec a conviciis, injuriis, et obtrectationibus abstinuerunt: quare providentiae RR. Pontificum opus fuit, huic malo decretis suis occurrere. Sicque dum quisquis Magistri sui, aut Scholae placita defendit pro aris et focis, modum non tenet, Christianam charitatem laedit, et scandala creat in populo Dei; indigna profert, et a veritatis inquisitione longe recedit. Sed proferamus tandem auctoritatem illorum, qui ante me hujus regulae in Philosophicis, et Theologicis quaestionibus servandae necessitatem experti sunt, et juratam servitutem stricto calamo damnarunt.

Mihi non probantur, inquit Ludovicus Carvajal, *qui suorum Doctorum sententias per fas, et nefas propugnant: in hoc enim e diame-*

metro Evangelio adversantur, in quo non Nominales, aut Reales, sed Christum imitari jubemur. Ubicumque veritatem invenero, ipsam amplectar, nec patiar, ut quisquam me juratum Scotistam, aut aliquo quovis nomine appellet.... Solius Christi verba sub Ecclesiae gremio juravi, reliqua nomina contemno (De restituta Theologia, in Epis. ad Carolum V.).

Ego enim miserrimam hanc dico servitutem, subdit Alphonsus de Castro, *sic esse humanae sententiae addictum, ut non liceat ullo modo illi repugnare: qualem patiuntur hi, qui se tantum B. Thomae, aut Scoti, aut Okami dictis subjiciunt, ut ab eorum placitis, in quae jurasse videntur, nomina sortiantur, quidam Thomistae, alii Scotistae, alii Okamistae appellati. Paulus quidem jussit captivare intellectum in obsequium Christi, non autem in obsequium hominis*. Et infra: *Valde enim displicet etiam mihi, quod et nostrum sodalitium in verba Scoti fere jurasse videatur* (Contra Haereses l. 1. C. 7.). Et utinam non jurassent diù! usque enim ad medium decurrentis saeculi servitus perduravit, quandiù tandem Lectores nostri jugum projecerunt; et in Scholis, et in Circulis siluit illud: *Ad mentem Doctoris subtilis*.

Attollit studiis suum quisque Auctorem, et mori citius exoptat, quam Auctoris sui patrocinium deserat. Platonicos, Pytagoricos, Academicos, Stoicos, Cynicos, Peripateticos (Addam ego, Cartesianos, Wolfianos, Nevvtonianos, Copernicanos etc.) Thomistas, Scotistas

stas se esse jactant, illorumque dogmata penitus habent cognita, memoriter tenent, de instantibus, de relationibus, de quidditatibus, de formalitatibus disputant. Haec studia erudita, subtilia, seraphica arbitrantur. Ita Sanctes Paguinus (Prologm. Biblior.). Similia habet Sadoletus Card. in Epis. ad Paulum III. Similia Melchior Canus de Loc. l. 8. c. 7. Obsequium ergo nostrum cuique Doctorum, qui tam bene de Ecclesia meriti sunt, impendamus; sed extrinsecam illorum auctoritatem tum solum recipiamus, defendamus, quando bene consonat instrinsecae rationi: secus autem, debito servato honore, eam relinquamus.

REGULA V.

REvelata Theologia certis principiis a Deo traditis innititur. Enim vero Deus non alia, et alia Dogmata, sed certa, et invariabilia, vel scripto, vel voce Ecclesiae suae concredidit. Hujusmodi autem principia alia sunt simpliciter prima, in quibus implicitè et cetera continentur: ut in Metaphysicis illud: *Impossibile est simul affirmare, et negare*; sic in Theologia istud: *Deus est, et inquirentibus se remunerator;* in quibus ut in primis credibilibus, ut S. Thomas scribit (2. 2. q. 1. art. 7.) omnes fidei articuli implicite continentur. Alia vero sunt principia praecipua quidem, et immediata, sed tamen communibus illis contractiora: hujus generis in

in physicis sunt illa; *Res naturales materia et forma constare; Naturam esse principium motus, et quietis*. *In Theologia vero sunt articuli illi, qui*, ut idem Thomas docet, *primo et per se fidelibus credendi proponuntur: hi de Deo, qui est res Theologiae subjecta, emergunt, et enunciantur; nempe illum Deum, qui Trinus, et Unus est, qui creavit coelum et terram, qui justificat impios, qui justos, et beatos facit, eumdem credimus hominem factum, natum, mortuum, sepultum, suscitatum, et elevatum in Coelis. Merito ergo haec prima sunt, et propria Theologiae principia. Praeter haec duo principia, alia etiam sunt non propter se potissime petita, et nota, sed eorum quae sunt potissima, explicandorum gratia assumuntur, quae idcirco secundaria vocantur. Haec autem sunt ea omnia, quae ex sacris literis desumimus, vel ad Dei naturam, et majestatem explicandam, vel ad ipsius erga homines benevolentiam exponendam, rerumque omnium procurationem, quae illis utiles essent, et necessariae etc.* Ex quibus patet, germana Theologiae principia in Scriptura, et Traditione contineri; sive potius Scripturam, et Traditionem eadem principia amplecti. Et haec de principiis primariis, et intrinsecis Theologiae; de secundariis autem, et extrinsecis, qui *Loci Theologici*, seu *Communes* appellantur, in Regula IX.

RE-

REGULA VI.

NOn omnia tamen, quae Christiana amplectitur Theologia, ad fidem pertinere credendum est. Nonnullae etenim sunt quaestiones, quae in utramque partem possunt disputari, vel etiam negari absque fidei jactura: exempla paulo post adferemus. Nunc vero, quoniam Theologo multum adlaborandum erit, ut conclusiones, quae ad fidem pertinent, quaeve non, dignoscat: sciendum est, quaestionum Theologicarum duo esse genera, unum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis sunt illae, quarum finis est scientia, ut cum quaerimus: *An Pater, et Filius sintne unum principium Spiritus Sancti, an duo?* Actionis vero illae, quae praeter cognitionem aliud important, ut cum quaerimus: *An Poenitentia sit ad salutem tamquam medium necessaria? An Sacramenta novae legis gratiam, et virtutem conferant?* Cognitionis quaestiones quadruplicis sunt generis, quas in hac expositione intuemini: *Sit ne Deus, vel Angelus, vel anima humana? quid sit? qualis sit? cur sit talis?* In duplici vero differentia sunt, quae vocantur actionis: aliae illarum rerum, quae sunt ad salutem necessariae: aliae vero illarum, quae tantum utiles sunt. Primi generis sunt hujusmodi: *An teneatur homo fidelis mortem subire, dum fides Christi periclitatur? An Christi praeceptum sit Baptismatis suscipiendi?* Posterioris autem: *Num aqua lustralis, seu be-*

nedicta abluat venialia? An id ex opere operato faciat, an ex opere operantis? Num Eucharistiae Sacramentum ex attrito faciat contritum? et aliae hujusmodi. Si quaestio ex principiis supernaturalibus pendeat, et definiatur, supernaturalis est; talis est ista: *Num omnes resurgemus?* Quam Apostolus ita terminat: *Christus resurrexit; ergo et nos resurgemus*. Sin autem ex principiis rationalis naturae, naturalis est; hujusmodi sunt: *Num Deus sit ubique? Num sit immortalis?* quae licet fide etiam constent: sola tamen ratione evidenter demonstrantur. Demum si ex utrisque principiis dissolvantur, mediae dicuntur quaestiones; hujusmodi se exhibet ista: *Habeat ne Christus duas voluntates, et duos intellectus, duasque item utriusque potentiae operationes?* Proferamus nunc exempla quaestionum, quae ad fidem pertinent, quaeve non; et quoniam utrinque infinitae propemodum possent adferri; unum, aut alterum dabimus. Sit igitur primi generis exemplum: *An Christi anima simul ac conjuncta fuit Verbo, Deum clare intuita sit? Num in Inferno sit ignis, quo damnati crucientur?* Posterioris tales sunt: *Ubi nunc sit terrestris Paradisus? Ubi asservantur Henoch, et Elias? Num Paulus in corpore, an extra corpus raptus sit ad tertium Coelum?*

REGULA VII.

Sunt quidam characteres, seu notae, quibus discerni possunt quaestiones ad fidem spe-

stantes, quaeve extra fidem sunt. Necessaria est haec regula, simulque difficilis, quam proinde probe dignoscere, eaque bene uti, tantum est exercitatissimis Theologis. Ex dictis tamen non multum adlaborandum videtur, ut natura, et qualitas quaestionum possint determinari. Ea namque omnia ad fidem pertinere dignoscimus, quae sunt Theologiae legitima principia, sive illa primaria sint, sive secundaria: uno verbo ea omnia, quae Deus Ecclesiae sponsae suae revelavit; sive haec scriptis mandata fuerint, sive constanti traditione Christi, et Apostolorum servata. De fide quoque erunt ea omnia, quae ex prioribus illis necessario colliguntur; sive haec ex solis fidei principiis nascantur, sive externarum facultatum adjutorio in certam lucem ponantur; nam etsi conclusiones hujusmodi non simpliciter sint fidei quaestiones, sunt tamen quasi fidei appendices. Ubi vero res ambigua multum apparet: nemo judicium citò praecipitet; sed prius diligenter expendat Scripturam, Traditionem, Patrum consensum, Ecclesiae, Conciliorumque Decreta, ac tandem rectam rationem. Duplici autem modo quaestiones de fide esse dicuntur, immediatè, scilicet, et mediatè. In primo gradu eae omnes veniunt, quas Deus Ecclesiae suae clarè edidit sive verbo, sive scripto: in altero eae omnes conclusiones includuntur, quas ordine, et vi disciplinae ex illis prioribus colligere possumus, et definire. His bene intellectis, longa exercitatione

secernere quis facile poterit propositiones fidei ab iis, quae tales non sunt; atque etiam haereticas propositiones illis ex adverso respondentes, vel non.

REGULA VIII.

NOn *eodem modo Theologo disputandum est cum iis, qui circa fidem errant; et cum iis, qui de Theologicis rebus disputant, salva fide*. Siquidem cum postremi in fidei regula conveniant, non refellendi sunt, nec acriter confutandi; in quo plurimum peccavere Scholastici antiqui, vires omnes, et nervos in iis intendentes, quorum inscitia nihil habet periculi, nihil erroris: cum istis ergo amicaliter, dicam, pacatè, et breviter erit confabulandum. Ast cum primis fortiter dimicandum est, omni conatu adhibito, sagacitate multa, et diligentia pari. Neque enim cum omnibus fidei hostibus eadem via tenenda est. Si enim rem habeamus cum Gentilibus, et Paganis, Revelatione, quam ipsi non recipiunt eos revincere nullatenus poterimus: si cum Judaeis, Veteri Testamento, quod divinitus inspiratum concedunt, nequaquam autem novo, quod rejiciunt, eos aggredi, ac refellere datum erit. Si tandem cum Haereticis, iisdem fidei principiis, quae et ipsi recipiunt, eos feliciter propugnabimus. Quod si forte adversarius quis nulla certa recognoscat principia, controversiae locus adimitur, et inter amentes, et carceri mancipatos

tos accensendus est. Hoc itaque cautè attendendum est: quid adversarius concedat, quidvè neget, et sua ipsius principia contra ipsum retorquere, in adjutorium vocatis hoc aut illo ex Theologicis locis, qui ad rem magis aptus videtur, et opportunus.

REGULA IX.

EXtant quaedam opportunissima loca, quae nobis ad omnigenos adversarios refellendos validissima suppeditant argumenta. 1. horum locorum est Scripturae Sacrae auctoritas, quae libris Canonicis continetur. 2. Auctoritas Traditionum Christi, et Apostolorum. 3. Auctoritas Ecclesiae Catholicae. 4. Auctoritas Conciliorum, praesertim Generalium, in quibus Ecclesiae totius auctoritas residet. 5. Auctoritas Ecclesiae Romanae, quae divina immunitate vocatur, et est Apostolica. 6. Auctoritas SS. Patrum, et Ecclesiasticorum Scriptorum. 7. Auctoritas Theologorum, quibus copulantur Juris Pontificii Interpretes; est enim Jus Pontificum quasi altera Theologiae pars. 8. Ratio naturalis, quae per omnes facultates latissimè dominatur. 9. Auctoritas Philosophorum, qui naturam sequuntur ducem, quibus adjunguntur Caesarei Juris Consulti, qui et ipsi veram philosophiam profitentur. 10. Humanae historiae auctoritas, sive per Auctores fide dignos scriptae, sive de gente in gentem constanti ratione traditae. Ex his itaque

tia ejus, et investigabiles viae ejus! (Rom. C. 11). Longe ergo sit a nobis nimia curiositas, dum Theologi munus aggredimur.

CAPUT IX.

De iis, quae ad rectam, bonamque intelligentiam locorum Theologicorum sunt adhuc Juvenibus necessaria.

78. NOn tantum interest, Ecclesiasticos Tyrones loca illa, ex quibus argumenta petuntur ad firmandas, enodandasque quaestiones, optime noscere: quantum juvat bona illorum intelligentia, quae adeo necessaria est Juvenibus, ut sine illa neque quaestiones, quae ad fidem spectant, quaeve extra fidem sunt, facile dignoscere, neque datis principiis apte, et prompte uti valebunt. Quaenam autem est isthaec intelligentia, de qua loquor? Regularum illarum, inquam, quae ad probe intelligendas Scripturas, et Traditionem, ad mentem Conciliorum, Patrum, RR. Pontificum consequendam, sunt accomodatae, et prorsus necessariae. Sed quoniam in Cap. 21. lib. 1. regulas tradidi, quae intellectum Scripturarum, et Traditionis respiciunt: hoc unum mihi tantum superesse video ad plenam Tyronis mei eruditionem, ut eas regulas apponam, quae mentem Conciliorum, Patrum, Pontificum etc. nobis exhibent.

RE-

Pro Conciliorum intellectu.

REGULA I.

SI Generale Concilium, in Spiritu Sancto congregatum, aliquid communi consensu decernat, ut de fide habendum, dogma fidei est. Ratio patet: Oecumenicum namque Concilium totam repraesentat Ecclesiam, atque totius Ecclesiae in sinu suo revera continet auctoritatem. Cum autem fide constet, Christum Ecclesiae suae auctoritatem infallibilem, ac perpetuo duraturam, contra quam portae inferi praevalere non possunt, tradidisse: haec ipsa Generali Concilio denegari nullatenus potest. Loquor de Concilio cum supremo Capite, quod est R. Pontifex, conjuncto: Nam Concilium a Capite avulsum, neque legitimum est, neque Canonicum.

REGULA II.

NOn est tamen absolute necessarius ad Decretum fidei vulgandum unanimis Patrum consensus. Ratio est, quia infallibilitas a Deo Ecclesiae concredita non respicit quemlibet Patrum *distributive*, sed Coetum Ecclesiasticum *collective* sumptum. Cum ergo major pars Episcoporum *in eumdem sensum*, et in eamdem doctrinam convenerit, uno, aut altero, vel paucis subscribere negantibus: nihil obstat, quod judicium dicatur, et sit Ecclesiae totius. Ceterum qui *Unanimitatem*

quae-

quaerit in Concilio, unum morale impossibile quaerere videtur; quod numquam fortasse in omnibus sive Conciliis Ecclesiasticis, sive Regiis, et Imperialibus comitiis potuit obtineri: et tamen Decreta in iis sancita, et promulgata ubique vim obtinuerunt, et obtinent per solam *pluralitatem*, quia *major pars trahit ad se minorem*.

REGULA III.

OMnes Episcopi per orbem dispersi si in unum de veritate tamquam de fide tenenda conveniant, et oppositum ut haereticum damnent: hujusmodi consens usdogma constituit. Ratio in aperto est, quia Episcopi sunt controversiarum Judices: iis enim dictum fuit a Christo in persona Apostolorum, quorum vices gerunt; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (Matth. c. ult.). Eos respicit illa Christi promissio: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, spiritum veritatis. Ille vos docebit omnia* (Joan. c. 14.). Cum ergo Episcopi undequaque per orbem terrarum dispersi in eamdem veritatem indubitanter consentiunt: idem perinde est ac si in Concilio loquerentur. Impossibile namque est, ut communis illorum sententia esse possit errori obnoxia; alioquin dicendum foret, Spiritus Sancti assistentiam aliquando Ecclesiae ipsi posse deesse.

RE-

Pro auctoritatis RR. Pontificum, et Patrum intelligentia.

REGULA I.

Romanus Pontifex e Cathedra Decretum fidei emittens, cum sententiae suae sensus accedit caeterorum Episcoporum, irrefragabile illud est. Veritas hujus regulae ex eo patet, quia Petro dictum est: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni Coelorum* (Matth. c. 16.). Deinde cum judicio Romanae Sedis ceteri consonant Episcopi; judicium tunc non est solius Petri, sed Ecclesiae universae; adeoque necessario infallibile.

REGULA II.

Cum Romanus Pontifex, omnibus diligenter discussis, ut Ecclesiae Magister, et Caput, aliquam ex Cathedra profert sententiam circa fidei, aut morum veritatem: si hujusmodi sententia prorsus irrefragabilis non est; ei tamen debent omnes summa devotione acquiescere. Verba Christi apud Matthaeum superius relata hoc ipsum demonstrant, quibus addi possunt ea, quae Lucae leguntur c. 22. *Ego rogavi pro te (Petre) ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et illa, quae extant apud Joannem c. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Quomodo autem con-

confirmare posset fratres suos, agnos pascere et oves: quandiù Petri judicium prudens, ac diligens esse potest errori obnoxium? Porrò in hac suppositione Petri fides deficeret, et error ipsius esset error Ecclesiae, quae vocem communis Patris audire tenetur. Confirmatur: quia RR. Pontificum judicium sic prolatum, numquam falsum deprehensum est, nec opus habuit reformatione. Adhuc tamen si Petri judicium non fidei, saltem humilis, ac devotae obedientiae obsequium exigit ab omnibus; eo quod Deus mortem minitatur iis, qui Sacerdotis Magni sententiae acquiescere detrectant (Deut. c. 17. v. 12.).

REGULA III.

SAnctorum Patrum auctoritas, sive paucorum, sive plurium, cum eas respicit facultates, quae naturali lumine continentur, certa argumenta non suppeditat, sed tantum probabilia, quantum ratio persuaserit naturae consentanea. Circa facultates namque philosophicas vel parum soliciti fuerunt Patres; vel si fuerunt, in his, ut ceteri homines, errori subjiciebantur.

REGULA IV.

UNius, aut alterius SS. Patrum auctoritas, etiam in iis, quae Sacras Scripturas, et fidei doctrinam respiciunt, firmum argumentum nequit constituere, sed tantum probabile. Sicque

eam

eam vel omnino despicere, vel eam pro certa adsumere, aequalis erit periculi. Exceptis namque iis, qui Canonicos libros conscripsere, humano spiritu sunt locuti ceteri omnes: quare utcumque non contemnendi, certam tamen fidem nobis haud faciunt.

REGULA V.

MAjoris partis SS. Patrum auctoritas, licet paucioribus dissentientibus, firma argumenta Theologo praestare non valet. Eadem ratio, quae supra, recurrit; quod insuper exemplis multis posset confirmari.

REGULA VI.

UNanimis SS. Patrum auctoritas, seu consensus, vel circa expositionem Sacrarum Scripturarum, vel circa morum canones, vel circa fidei doctrinam, certissimum, atque infallibile Theologo praebet argumentum ad Theologicas assertiones roborandas. Impossibile namque est quod omnes diversis locis, diversisque temporibus in unum consenserint, quod falsum esse possit. Hanc autem regulam negant Haeretici, eamque pro aris, et focis impugnant; quamque proinde adversus eosdem firmiter tenendam, ac propugnandam, nostri muneris est. Erit enim semper regula isthaec contra eorum conatus insuperabilis Achilles.

CAPUT X.

De differentia inter Doctores, et Patres Ecclesiae.

79. Licet Doctores, et Patres promiscuo nomine non raro appellentur, accipienturque, ac revera utrorumque par sit auctoritas: aliqua tamen est inter eos differentia. Doctores namque Ecclesiae illi soli dicuntur, qui eminenti sanctitate, et doctrina in Ecclesia floruerunt, quosque insuper ut tales declaravit Ecclesia ipsa: unde patet, non omnes, qui vel doctrina, vel sanctitate eluxerunt, aut uno, aut altero modo utilitatem, et splendorem contulerunt Ecclesiae, illico Doctorès nuncupari, nisi duobus hisce gaudeant dotibus, et Ecclesiae accesserit declaratio. Patres vero hi dicuntur, et sunt, qui praeter duas illas sanctitatis, et doctrinae dotes, ulterius habent competentem antiquitatem: Pater namque, ut vox ipsa sonat, antiquitatem importat, juxta illud Deut. C. 32. v. 7. *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, majores tuos, et dicent tibi.* Quotquot igitur ante nos floruerunt, et scriptis, et sanctitate Ecclesiam illustrarunt: hi vel Patres sunt, vel Doctores.

80. Quoniam vero non omnia, quae SS. Patres scripserunt, sunt ex fidei necessitate credenda: animadvertendum hinc est, duplicis generis esse Sanctorum Doctorum scripta, quae ab invicem cautè secernenda sunt, ut re-

rectum de iis ferre possimus judicium; quaedam namque dogmatica sunt, quaedam vero exhortatoria. In his clarè, et perspicuè semper locuti sunt, in illis subobscurè, figuratè, et parabolicè, nè sancta canibus proferrentur, et mysteria divina vel Paganis, vel indoctis, aut occultarent, aut non cito patefacerent.

81. Opera autem SS. Patrum sic in genere considerata, in octo species vulgo secernuntur. 1. In Catecheses, quae erant instructiones domesticae, et familiares, quaeque tantum tempore fiebant Quadragesimae coram iis, qui in Vig. Paschatis sacro fonte mergendi erant; ac etiam in Octava Paschatis ad confirmandos initiatos in fide: in primis subobscure, in alteris clare, et absque enigmate loquebantur Patres; et hae Mystagogicae vocabantur. 2. In Tractatus Polemicos, quibus fides ab Haereticis impugnata adstruitur, et adversus negantes defenditur. 3. in Apologias, quae in duplici sunt differentia; quaedam namque conscriptae sunt, ut Ecclesia a calumniis Paganorum, et Haereticorum purgaretur, ut sunt Apologiae duae Justini M., Apologia Tertulliani, et altera Athanagorae, quae omnes, jubente, et approbante Ecclesia, publici juris factae sunt. Quaedam vero ex otio Auctorum, more Theologorum nostrorum, sunt exaratae, ut Dialogi Minutii Felicis, et Arnobii Libri. Nonnullae etiam extant ad famam, et honorem parvipensum quorundam Chri-

Christianorum de Ecclesia bene meritorum purgandum, vel ad propriam causam defendendam: hujusmodi sunt Apologiae S. Pamphilii pro Origene, Dionysii Alexandrini pro se ipso, duae S. Athanasii in propria causa contra Arianorum calumnias. 4. in Homilias, quae sub nominibus Sermonis, et Enarrationis celebrantur. Hae differunt a Catechesibus, quia istae tantum habebantur in Quadragesima, et Paschate vel iis, qui de proximo initiandi erant, vel statim abluti, ceteris exclusis: illae vero in magno Ecclesiae conventu, et concursu pronunciabantur, nemine excluso, nequidem Pagano, Hebraeo, aut Haeretico; ex quo factum est, ut in iis saepe mysticae locutiones, et obscurae inveniantur. A Catechesibus mos invaluit fieri a Parochis in Ecclesia Catechismum parvulis tempore Quadragesimae, et ab Homiliis forma concionandi fortassis desumpta est. 5. in Epistolas de diversis materiis, nunc ad fideles, nunc ad ceteros directae, in quibus similiter non modicae obscuritates occurrunt. 6. in Commentaria in Sanctam Scripturam. 7. in Hist. Ecclesiasticam. 8. tandem in Opera ad pietatem fovendam, in quibus varia varie tractantur. His bene intellectis, simulque collatis cum Regulis superius positis, parvo cum labore mentem SS. Patrum consequi poterunt Tyrones mei.

CA-

CATALOGUS.

SS. Patrum, et Scriptorum celebriorum secundum ordinem saeculorum, quibus floruerunt.

SÆCUL. I. ET II.

ACta Martyrii S. Andreae Apost. scripserunt saec. I., prout ipsi viderunt, Achajae Presbyteri: sed hujusmodi Acta tamquam spuria a nonnullis rejiciuntur, dum ab aliis ut genuina habentur.

S. Barnabas S. Pauli Apost. socius saec. eodem Epistolam scripsit satis prolixam, a Clemente Alexand., et aliis antiquis citatam; quae hodie ut genuinum Barnabae Opus a nonnullis Criticis existimatur.

S. Clemens I. R. P. S. Pauli comes, et adjutor, duas dedit Epistolas ad Corinthios, quarum prima ferme integra ad nos pervenit; alterius autem unum superest fragmentum.

S. Dionysius Areopagita, hoc est Areopagi Senator, praedicatione Ap. Pauli circa an. 50. Christi conversus est ad fidem. An ipse revera Auctor sit Operum, quae ejus nomine vulgantur: et an fuerit Parisiensis Episcopus, magna est inter eruditos controversia. Legantur Sirmundus, Launojus, Natalis Alex. Sed Vide C. 4. §. 23. Porro S. Gregorius M. Hom. 24. in Evang. hunc vocat antiquum, et venerabilem Patrem.

S. Hermas Pauli Discipulus, cujus men-

tio est Cap. 16. Epist. ad Rom. Auctor est Opusculorum, quae sub nomine *Pastoris* vulgata sunt. Vide Cap. 4. §. 21.

S. Ignatius S. Petri discipulus, deinde post Evodium Antiochenae Ecclesiae Antistes, extremum diem clausit per martyrium initio saeculi II. v. c. 4. §. 21.

Liturgiarum plures vulgantur sub nomine SS. Petri, Matthaei, et Marci, sed Critici ostendunt non esse ipsorum genuinum opus. Antiquior est illa S. Jacobi dicta, cujus Auctorem C. Bellarminus, et Bona credunt esse Jacobum fr. Domini, exceptis quibusdam Orationibus, quae tardius adjectae fuerunt. Aliae etiam sunt perantiquae Liturgiae, nempe SS. Basilii Caesariensis, Cyrilli Alexand. Gregorii Theologi, Chrysostomi, Ambrosii. Sunt autem Liturgiae Rituales libri publica Ecclesiarum auctoritate conscripti, earumque usu comprobati, quibus preces, et ritus ad conficienda, et administranda Sacramenta continentur.

Canones Apostolici, vulgo dicti Canones Apostolorum, 85 numerantur, sed peritorum omnium sententia, 35. posteriores apocryphos esse, contestatur. Modo autem critici, cum Albaspinaeo, Cabassutio, et aliis, existimant nec 50. priores esse genuinum Apostolorum foetum, fatentur tamen eos primae antiquitatis caractheres praeseferre: collecti enim sunt ex pluribus Conciliis ante Nicaenum celebratis a viris Apostolicis, nempe aetati Apostolorum supparibus.

Jo-

Josephus Hebraeus, vir clarus nedum apud Hebraeos, sed etiam apud Romanos, itaut, scribente Eusebio, in urbe Roma statua donaretur, et ejus libri propria manu Titi subscripti in publica Bibliotheca collocati fuerint. Claruit ultra medium saec. I., et in l. 18. Antiquit Judaicarum c. 4. praeclarum profert de Jesu Christi divinitate testimonium, quod ipsius genuinum esse foetum, longe probabilius defendunt Eruditi.

Philo, Judaeus Alexand. claruit circa medium saec. I. Variam, ac multiplicem sacrorum Librorum edidit expositionem; sed literali sensu neglecto, allegoricum praecipue sectatur.

S. Justinus M. floruit saeculo 2., duas evulgavit Apologias pro christianis. V. c. 4. §. 27.

S. Irenaeus S. Polycarpi discipulus, obiit m. in fine saec. II. De ejus Operibus V. C. 4. §. 26.

Athanagoras Atheniensis saec. II. V. C. 4. §. 28.

Cajus Presbyter Romanus vixit desinente saec. II., et ineunte III. Plura scripsit Opera, quorum nonnulla tantum supersunt fragmenta apud Eusebium, et Photium.

Melito, Sardensis Episcopus in Asia floruit saec. II., et pro Christianis libellum Apologeticum obtulit Antonino Imper., cujus fragmenta quaedam Eusebius conservavit.

Clemens Alexandrinus floruit usque ad an. 220. V. C 4. §. 25.

Origenes item Alexand. usque ad medium saec. III. V. C. 4. §. 26

S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus flor. saec. III. V. C. 4. §. 31.

Constitutiones Apostolicae haud sunt opus Apostolorum, sed Auctoris III., aut IV. saec., qui se falso jactitat Clementem Apostolorum discipulum. Legat. Opus Joan. Baptistae Cotelerii Sorbonici, cui Titulus: *SS. Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt*.

S. Dionysius Alex. Episcopus, Origenis discipulus, floruit saec. III. Accusatus hic fuit apud S. Dionysium Papam, quod scribens adv. Sabellium, in oppositum errorem impegisset, dicendo, Filium Dei esse creaturam: quare opus habuit ab hac noxa se purgare Apologeticis Literis.

Tertullianus Affricanus flor. saec. III. V. C. 4. §. 29. Hoc eodem saeculo fl. Minutius Felix, natione Afer, qui elegantem Dialogum cui nomen *Octavius*, scripsit inter Paganum accusantem, et Christianum vindicem, patronumque Christianorum. In hoc Dialogo Gentilium cultum, Deorumque prosapiam ingeniose sugillat. Hi duo tamen Patres magis pertinent ad II., quam ad III. saeculum.

Quarti autem saeculi Patres hi sunt. S. Cyrillus Jerosolymitanus Ep. S. Epiphanius Salaminae Ep. S. Athanasius Patriar. Alex., et

et Doctor. S. Basilius Caesariensis Ep., et Doctor. S. Gregorius Nazianzenus CP. Ep., et Doctor. S. Gregorius Nissenus Nissae Ep. S. Joannes Chrisostomus CP. Patriarcha, et Doctor. Quibus ex Graecis addendi sunt Sozomenus, et Socrates V. C. 4. §. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38.

Ex Latinis Arnobius Affricanus, Lactantius Firmianus, forte sic dictus a Firmi Civitate patria sua. S. Optatus Millevitanus Ep. S. Hilarius Pictaviensis Ep., et Doctor. S. Hieronymus Presbyter, et Doctor. S. Ambrosius Mediol. Ep., et Doctor. S. Augustinus Hipponensis Ep., et Doctor. Hieronymus tamen, et Augustinus ultra saeculum IV, mortui sunt V. C. 4. §. 40. 41. 42. 43. 44. 48.

Amphilochius Iconiensis in Lycaonia Ep. Opera illi attributa, Graecè, et Latinè edita sunt Parisiis an. 1644. Homilia in S. Deiparam, et Simeonem, aliaeque alteri Amphilochio Sidensi Ep., qui Ephesino interfuit, a quibusdam adscribuntur

S. Chromatius Aquilejensis, alias Romanus Ep., quem Hieronymus in Lib. Paralip. vocat sui temporis Episcoporum doctissimum, et sanctissimum, aliquot scripsit Homilias circa an. 400., quarum tres cum fragmentis aliarum extant in Bibliot. PP. Ceterum Epistolae sub nomine Chromatii, et Heliodori ad Hieronymum, et hujus responsio, in qua sermo est de Nativ. B. V., et de Martyrologio inter Opera S. Hieronymi, suppositiitiae habentur a Baronio.

Didymus Alexand., S. Hieronymi, et

Rufini discipulus, adv. omnes haereticos, praesertim Arianos strenuè propugnavit. Totam Scripturam Commentariis, et dogmata plurima in suis Operibus exposuit: sed paucissima ejus scripta supersunt. Obiit circa finem saec. IV.

S. Ephrem, Diaconus Edessenae Ecclesiae, Haereticos vehementer detestatus est, eorumque fraudes mira dexteritate saepe detexit, et refutavit. Ejus Opera pene omnia ascetica sunt, quae summo in honore semper habita fuerunt. Diem extremum clausit circa an. 378.

Eusebius, Emissenus in Syria Ep., juxta S. Hieronymum, Arianae fuit signifer factionis. Scripsit multas, sed breves Homilias; quae tamen hactenus sub ejus nomine vulgatae sunt, non ipsi, sed partim S. Eucherio Lugdunensi, partim aliis tribuuntur. Decessit circa an. 360.

Eusebius Pamphili, ita appellatus ob arctissimam cum S. Pamphilo M. amicitiam, fuit Caesariensis Ep. Scripsit plurima, praesertim Hist. Ecclesiasticam: quare de Ecclesia, et eruditis omnibus bene meritus fuisset, nisi apertè favisset Arianis. Mortuus est circa an. 340.

S. Eusebius Sardus, Vercellensis Ep. ab Arianis incredibilia mala perpessus est. Obiit circa an. 370., et ab Ecclesia colitur ut Martyr 16. Decem. Hujus extant Epistolae nonnullae, quae robur apostolicum, et religionem ejus undique sapiunt.

Ju-

Juvencus Presbyter Hispanus carmine latino Christi vitam in 4. libris dissectam scripsit circa an. 330.

S. Lucianus Presbyter Antiochenus in Sacrae Scripturae, cujus peculiarem editionem adornavit, studio versatissimus fuit. Ab Arianismi fautoribus accusatur tamquam Arianae haereseos praecursor; sed ab hac labe eum purgat Baronius ad an. 311., et Ecclesia eum colit ut Martyrem 16. Januarii; passus est enim sub Maxentio an. 312.

Osius Cordubensis in Hispania Ep. praefuit Con. Nicaeno an. 325., nomine S. Silvestri Papae, aliisque multis; quare dictus *Pater Episcoporum, et Conciliorum*. An. natus 100. exilio, aerumnis, plagis, mortisque metu infaustè lapsus est, et Sirmiensi 2. formulae Arianae subscripsit: sed instante morte, ut scribit S. Athanasius in *Epist ad Solitarios*, vim sibi illatam quasi testamento declaravit, et haeresim Arianam anathemate feriit.

S. Pacianus Ep. Barcinonensis, obiit valde senex sub Theodosio circa an. 390. Scripsit Opuscula nonnulla de Baptismo, et ad poenitentiam Paraenesim, idest exhortationem. Prae ceteris ejus operibus maximè commendantur Epistolae contra Novatianos. A S. Hieronymo laudatur plurimum ob ejus eloquentiam, et castitatem.

Prudentius Hispanus Poeta, Laicus natus Caesaraugustae circa an. 348. floruit usque ad initium Saec. V. Opera plurima Poetica ejus-

ejusdem adhuc supersunt, inter quae principem tenet locum liber *de Coronis*, in quo plurimorum Martyrum certamina describit, atque victorias.

Rufinus Presbyter Aquilejensis, olim Hieronymi amicus, deinde adversarius, Origenis Apologista, varios Graecorum libros latinè transtulit, nempe Josephi Antiquitates, et Bellum Judaicum, libros duos contra Apionem, Eusebii Historiam, Recognitiones S. Clementis ec. Alia etiam plura Opera scripsit.

SÆCUL. V. et VI.

S. Fulgentius Affricanus, Ruspensis Ep. vocatus sui temporis *Augustinus* ob defensam S. Doctoris adv. Semipelagianos doctrinam. V. C. 4. §. 45.

S. Prosper, non quidem Epis. sed Laicus: quae scripserit V. C. 4. §. 46. Coetaneus hic fuit, et aliquando Secretarius S. Leonis I. Papae. Hi omnes Patres saec. V.

Arnobius junior Presbyter vixit saec. V. Quasdam opiniones discipulorum S. Augustini impugnavit, et Massiliensibus Presbyteris se adjunxit. Junior hic dicitur ad distinctionem alterius Arnobii Affricani, qui ex Philosopho Pagano Christianus factus, scripsit contra Gentiles circa an. 304.

S. Benedictus Abbas, n. Nursiae in Provincia Umbriae circa an. 480., scripsit Regulam Monachorum, quorum Caput, et veluti Pater in Occidente merito habetur. Obiit circa an. 543. S.

S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus Opera plurima scripsit, quae magno sunt in pretio. Praefuit Ephesino Generali III. nomine S. Caelestini I. Papae an. 431.

Ennodius (Marcus Felix) Ep. Ticinensis ab an. 490. ad 521. Scripsit libros novem Epistolarum, et alia Opuscula varia, edita a P. Sirmundo, et inserta T. 9. Biblioth. PP. Edit. Lugd. Iterum libellum dedit Apologeticum pro Symmacho Papa, et 4. Synodo Romana sub eodem contra Schismaticos calumniatores; qui Liber approbatus in V. Synodo laudatur sub nomine Symmachi.

S. Eucherius ex Monacho Lirinensi Ep. Lugdunensis, eximium, et continua lectione dignum, libellum composuit *de Contemptu mundi*; varios quoque Sermones eloquentissimos, qui passim in novis Breviariis leguntur. Hic antequam Monasticam vitam profiteretur, uxorem habuit, ex qua duos filios accepit, Salonium, et Veranium, ambos postea Episcopali dignitate donatos. Obiit circa an. 454.

Faustus ex Britannia inferiori oriundus, Monachus Lirinensis, ac postea Ep. Regiensis (Riez en Provence). Lucidum Praedestinatianum ab errore revocavit per Epistolam, quam duarum Synodorum Arelatensis, et Lugdunensis Episcopi suis subscript. confirmarunt. Harum Synodorum hortatu libros scripsit de gratia, et libero arbitrio: cum tamen accusant multi de Semipelagianismo,

imo

imo et nonnulli eum dicunt mala fide, et pertinaci animo errasse. Ceterum Regiensis Ecclesia ejus festum celebrat die 16. Januarii. Obiit circa an. 484. ferme centenarius.

S. Gaudentius Brixiensis Ep. scripsit vitam S. Philostri Ep., cui successerat in Episcopatu, multosque Sermones, sive Tractatus de variis Argumentis. Creditur obiisse circa an. 427.

Gennadius Massiliensis Presbyter, non Ep., ut nonnulli putarunt, floruit ad finem usque saec. V. Vide C. 4. §. 48.

Hesichius Ep. Salonitanus in Dalmatia vixit temporibus Zosimi, et S. Augustini, quorum extant ad eum Epistolae. Alter fuit Hesichius Patriarcha Hierosolymitanus tempore Gregorii M. Sed neuter Auctor videtur 7. librorum explanationum in Leviticum, quos Labbeus verius attribuit cuidam Hesichio Presbytero Hierosolymist. Graece scripsit, licet opus deinde a semibarbaro versum sit, et in quibusdam priscis codicibus Presbyterum Salonitanum ipse se dicat.

S. Hilarius Laicus Epistolam dedit ad S Augustinum contra eos, qui doctrinae ejus circa gratiam adversabantur. Errant, qui hujus Epistolae auctorem faciunt S. Hilarium Ep. Arelatensem, qui obiit an. 454., et juxta Morinum 449 Est etiam alter ab Hilario Diacono Eccl. Rom., qui circa finem saec. IV. in Luciferianum schisma, et Rebaptizantium haeresim incidit; vocatus idcirco a S. Hieronymo Deucalion orbis. Hic Hilarius Dia-

Diaconus videtur auctor Commentarii in omnes D. Pauli Epistolas, quod inter Opera Ambrosii habetur: quare vocatur *Ambrosiaster*, hoc est Pseudo-Ambrosius.

Joannes Cassianus, natione Scita, postea Monachus, plurima scripsit tum ascetica, tum polemica adversus Nestorianos. Obiit an. 435., et secundum Labbeum 448.. S. Maximus Taurinensis Ep. plures egregiè, et eleganti stylo Homilias conscripsit, quarum nonnullae olim Ambrosio, et Augustino tribuebantur. Obiit an. 465. vel paulò tardius.

Veniunt sub initio saeculi 6. Boetius, et Cassiodorus, quorum ambo copiosè et erudite scripserunt. V. C. 5. §. 51. et 52.

In fine autem saec. hujus S. Gregorius M. Romanus, D. et P., cujus sapientia, et sanctitas totum illustrant orbem. V. idem C. §. 53.

S. Caesarius, primùm Monachus, et Ab. Lirinensis, postea Archiep. Arelatensis, qui Concilio Arausicano II. (Orange) aliisque multis praefuit. Pietate, et doctrina valde refulsit, itaut a viris Benedictinis in nova sua historia Galliae Litteraria dicatur *Augustinus Galliarum*, propter propugnatam ab ipso S. D. doctrinam. Obiit an. 543.

Dionysius Exiguus ob pusillam corporis molem, sed doctrina, et sanctitate magnus, natione Scytha, professione Monachus. Omnium primus annos ab Incarnatione Christi computavit. Scripsit Codicem Canonum Ecclesiasticorum, et Collectionem Decretorum

RR.

RR. PP. a Syricio ad Anastasium II. Obiit circa an. 550.

Evagrius Epiphaniae in Syria n. circa an. 537., *Scholasticus* dictus, eò quia Grammaticorum Scholas, et forum Antiochiae pluribus annis frequentavit. Edidit Hist. Ecclesiasticam sex Libris contentam, ab anno scilicet 431., quo Nestorii haeresis damnata est, usque ad an. 594.

Facundus Hermianensis in Affrica Ep. floruit usque ad an. 550. Fuit hic acerrimus propugnator trium Capitulorum, in quo certissime erravit; nam Capitula illa ab universa Ecclesia damnata fuerunt an. 553. in Concilio CP. II., Generali V.

Ferrandus Diaconus Carthaginensis scripsit vitam S. Fulgentii Ruspensis, cujus fuerat discipulus: item multas Epistolas, ex quibus aliquae in defensionem trium Capitulorum. Obiit circa medium saec. VI.

S. Fulgentius Afer, et Ep. Ruspensis, scripsit adversus Arianos, quorum invidia, ope Thrasimundi Reg. Wandalorum, exul factus est in Sardiniam insulam, et ab exilio revocatus decreto Hulderici. Vocatus fuit *Augustinus* sui temporis ob defensam S. D. doctrinam adv. Semipelagianos. Decessit circa an. 533.

S. Gregorius Turonensis Ep., natus est apud Avernos (Clermont en Auvergne). Scripsit libros X. Annalium Francorum, et alia quaedam Opera de miraculis plurimorum SS. Martyrum, et Confessorum, et S. Martini. Obiit an. 595.

S. Joannes Climacus, sic dictus a libro, cui graece titulus est *Climax*, hoc est, Scala; obiit valde senex, post transactos in Monasterio montis Sinai an. 60. circa finem saec. VI.

Julianus Pomerius n. in Mauritania Affricae, et Arelatae in Gallia Presbyter, flor. ineunte saec. VI. Scripsit libros tres de vita contemplativa, qui olim S. Prospero, sed falso tribuebantur.

Justinianus Imper. ab an. 527. ad 565., vir utique doctrina magnus, plurima scripsit ad rem Ecclesiasticam spectantia. Indixit Concilium V. Oecumenicum, in quo petiit, et obtinuit trium Capitulorum damnationem; saeviit adv. Nestorianos, et Eutychianos. Notae etiam sunt *Institutiones* Justiniani de rebus Civilibus.

Leontius Byzantinus, ex Advocato Monachus in Laura S. Sabae propè Hierosolymam, flor. saec. VI. sub Justino, et Tiberio. Scripsit librum de Sectis Haereticorum, et de Synodo Calcedonensi, in 10. Actiones distinctum. Tres libros edidit adv. Eutychianos, et Nestorianos; duos adv. fraudes Apollinaristarum, item solutiones argumentorum Severi ec.

Liberatus Eccl. Carthag. Diaconus, unus ex Affricanis defensoribus trium Capitulorum, libellum vulgavit de haeresi Nestoriana, et Eutychiana, cui *Breviarii* nomen dedit, post an. 564. Leg. Praefationem Garnerii Soc. Jesu in *Liberati Breviarium*, quod diligen-

ligenter edidit, notisque illustravit elegantibus.

Sedulius Presbyter in Italia Philosophus, et Poeta, cujus extat *Paschale Carmen* de Christi miraculis, et Paschale opus soluta oratione circa an. 430. Utriusque meminit cum laude Gelasius Papa in Can. *Sancta Romana* dist. 5. Sunt etiam alia ipsius Carmina, T. 8. Biblioth. PP. Parisiens. Edit. 1624. Labbè ipsi quoque attribuit Opus *Collectionum* in omnes Pauli Epistolas: sed constat hujusmodi expositionem esse alterius Seduli Ep. Scoti, qui floruit post an. 700.

Severus Sulpitius Presbyter Aginnensis, S. Martini discipulus, cujus vitam conscripsit, Hist. Eccl. contexuit, quam ab initio M. usque ad an. 400. perduxit, quo maximè floruit. Fuit Augustino, Hieronymo, et Paulino familiaris. Ast sub finem vitae a Pelagianis deceptus fuit; lapsum autem agnoscens poenituit.

Sidonius Apollinaris Lugdunensis, et Avernorum Ep., vir utique in divinis Scripturis, et saecularibus disciplinis eruditissimus, multa, et praeclara Opuscula scripsit tam metro, quam soluta oratione. Extremum diem clausit circa an. 487.

Theodoretus natione Syrus, et Cyri Ep. scripsit Hist. Eccl. ab an 322. ad 427. multosque Commentarios dedit in sacram Scripturam. Fuit vero Theodoretus durae cervicis homo; nam Anathematismos S. Cyrilli tamquam haereses impugnavit, et vocatus

tus Ephesino Concilio interesse noluit, sed cum Joan. Patriar. Antiocheno, aliisque Orientalibus Episcopis in clandestinum consessum abiit. Ast in Calcedonensi Concilio anathema tandem dixit Nestorio, cujus fuerat condiscipulus, nec alia ratione a Patribus potuit in Concilium admitti. Scripta ejus contra Cyrillum damnata sunt in Concilio V. Generali. Obiit an. 458.

Victor Tononensis in Affrica Ep., acerrimus fuit propugnator trium Capitulorum: qua de re, jubente Justiniano, in Aegyptum deportatus, indeque Constantinopolim translatus, obiit clausus in Monasterio circa an. 565. Chronicon scripsit ab exordio M. ad initia Justini Junioris, sed, teste Isidoro Hispalensi (C. 23. de Script. Eccles.), superest ejusdem tantum pars postrema, ab an. nempe 444., in quo desierat Prosper, ad 565. Quod Chronicon prosecutus est Joannes Gerundensis in Hispania Ep. usque ad an. 590.

SÆC. VII. ET VIII.

Amalarius Fortunatus Archiep. Trevirensis, librum scripsit *de sacro Baptismate*, qui prius attribuebatur Alcuino, ut Sirmundus ostendit in notis ad *Theodulphi Aurelianensis Opera*. E contra vero libri 4. de *Divinis Officiis*, alias *Officiales*, qui huic Amalario tribuebantur, compertum est, eos esse Amalii Diaconi Metensis. Obiit an. 714.

S. Andreas Cretensis, n. Damasci, primum

mum Monachus Jerosolym., deinde Archiep. Cretae. Scripsit nonnulla; sed celebres sunt ejus Homiliae. Decessit e vita an. 720., et juxta alios 723.

S. Bonifacius Anglus M., et Archiep. Moguntinus, scripsit Epistolas ad Greg. II. et III., et Zachariam Pontifices, ac etiam ad Proceres Francorum, quae collectae sunt in unum a Nicolao Serario. Obiit an. 754.

Carolus M. Francorum Rex an. 768., ac postmodum Occidentis Imperator an. 800., scripsit libros, qui a suo nomine *Carolini* dicuntur, vel saltem, ut omnes pene Critici fatentur, jussu Caroli fuerunt ab aliis conscripti. An. 72. morit. an. 814.

S. Eligius patria Lemovicensis, ac postea Noviomensis (Noyon) Ep., scripsit Conciones quasdam, et Homilias, quarum aliquae tantum supersunt. Fuit familiaris Dagoberto I. Francorum Regi. Obiit an. 665., et juxta alios an. 659.

S. Idelphonsus Ep. Toletanus scripsit lib. de virginitate S. Marci, et Sermonem de S. Maria Vir., quem Nierembergius edidit. Reliqua Opera, quae sub ejus nomine cusa fuerunt Pariis, pro supposititiis habet Joann. Poza.

S. Joan. Damascenus floruit saec. VIII., sub cujus medium decessit. V. C. 5. §. 56.

S. Isidorus Hispanus, et Ep. Hispalensis, obiit an. 636. V. C. 5. §. 54.

S. Maximus Ab., et M. celeberrimam habuit an. 645. disputationem cum Pyrrho Mo-

Monothelita Expatriarcha CP. Post abscissionem manus, et linguae obiit in exilio an. 662.

Moschus (Joannes) sub initium saec. VII. Auctor Prati Spiritualis, ut constat ex Sophronio, et ex Photio in Biblioth., ubi haec habet: *Multorum, magnorumque virorum res praeclarè gestas (Moschus) aggregavit, quas partim oculis ipse spectavit, partim recenti tunc auditione didicit.... Ceterum ex his omnibus industrius quisque, et Dei amans fructum capiens, numquam hujus scripti nimiam prolixitatem accusabit*. Liber hic a VII. Synodo Act. 6, et a S. Joan. Damasceno Or. 1. de Imaginibus laudatur sub nomine Sophronii Hierosoly. Archiep.. Huic errori occasionem dedit dedicatio Libri, a Moscho Sophronio discipulo facta, ut patet tum ex Epis. ad Sophron. praefixa, tum ex Photio ipso. V. Nat. Alex. saec. VII., C. 4. ar. 3.

Praeter hos Vide Patres illos, et Scriptores, quos retulimus C. 5. sub saec. VII., et VIII. §. 54. 55. 56.

SÆCUL. IX. ET X.

S. Ado Viennensis, n. in Vastinio (le Gatinois), circa an. 800., primum Ab. Prumiensis in Dioecesi Trevirensi, deinde Viennensis Archiep., varia scripsit Opera, quorum praecipua sunt Martyrologium, et Chronicam a mundo condito ad an. 875. Adonis Martyrologium, post Rosveidum Soc. Jesu,

iterum edidit, et illustravit D. Dominicus Georgii Romae, an. 1745.

Agobardus Lugd. Archiep. an. 859., cujus Opera in unum collecta edita sunt studio Stephani Baluzii 1666.

Anastasius Bibliothecarius Ab. Romanus multa collegit contra Monothelitas, scripsit vitas RR. PP., et alia saec. IX.

Ategisus Ab. Fontanellensis 4. libros Capitularium vulgavit an. 827., quos tamquam publicum legum Francorum Codicem regia auctoritate probavit Ludovicus Pius, et Carolus Calvus commendavit. V. Balutium in Praef. ad Capitularia.

Antonius Monachus, et Ab. Aegyptius, alter a S. Antonio Monasticae vitae auctore, scripsit libros duos Sententiarum seu Capitum Theologicorum de virtutibus, et vitiis collectorum, qui Loci *Melissae*, sive *Favi* inscribuntur. Creditur non diu post saec. VIII. vixisse, quoniam ex PP. ultimum citat S. Joan. Damascenum.

Florus, *Magister* dictus, Diaconus Lugd. flor. an. 837., scripsit de *Actione Missarum*, et Collectanea in S. Pauli Epistolas juxta Sirmondum. Propter eruditionem, qua pollebat, electus fuit ab Ecclesia Lugd. ad refellendum Joan. Scoti Erigenae errorem *de Praescientia, praedestinatione et lib. arbitrio*.

Freculfus Monachus Benedict., et Ep. Lexoviensis Chronicon vulgavit ab initio M. ad an. circiter 600. Obiit an. 850.

Hincmarus Benedic. Arch. Rhemensis, qui

qui fortiter decertavit adversus Gothescalcum item Benedict., praedestinatianum; plures quoque habuit controversias cum Hincmaro Juniore Ep. Laudunensi, cujus erat avunculus. Plurima scripsit, quae studio P. Sirmondi edita sunt Parisiis. Ipsius Epistolae Historiam ejus temporis, et utramque politiam illustrant. Obiit an. 882.

Leo VI. Orientalis Imperator, cognomento Sapiens, plura, et eximia vulgavit Opera, Orationes praesertim, et Epistolam insignem ad Regem Saracenorum *De veritate Christianae fidei*, in qua aperte adstruit processionem Spiritus S. a Patre, et Filio. Coronatus est an. 870.

Lupus Ab. Ferrariensis scripsit librum Epistolarum, sive de tribus quaestionibus, nempè de libero arbitrio, de praedestinatione, ac de Redemptione Sanguinis Christi. Obiit circa an. 883.

Oecumenius, quem post an. 1000. referunt plurimi, dum alii vixisse dicunt saec. IX., magnam Novi Testamenti partem ex Veterum scriptis, praecipuè S. Jo. Chrysostomi, cujus breviator est, ita clarè, dilucidè, et concisè explanavit, ut saepe vocetur *Scholiastes Graecus*.

Paschasius Rodbertus Gallus, Monachus Corbejensis, copiosè scripsit de veritate Corporis, et Sanguinis Domini in Eucharistia. Novum eumdem induxisse dogma de praesentia reali, calumnia est Calvinistarum. Obiit an. 851.

Rabanus Maurus Alcuini discipulus, Ab. Fuldensis, et Moguntinus Archiep., contra Gothescalcum fortiter propugnavit, eum carceri mancipari fecit, variisque Opusculis datis ejus errorem docte confutavit. Obiit an. 856.

Rotramnus Ab. librum edidit de Corpore, et Sanguine Domini adv. Paschalem Radbertum. Unus fuit ex his, qui errore facti Gothescalchi personae faverunt, non tamen ejus erroribus. Jussu Epis. Gallorum respondit ad objecta Graecorum, missa a Nicolao primo ad dictos Episcopos an. 867.

S. Remigius Lugd. Ep. dicitur respondisse nomine Ecclesiae Lugd. tribus Epistolis, quas Hincmarus, Pardulus Lugd., et Rabanus miserant ad Amolonem praedecessorem suum, aliudque opus evulgasse contra Capitula Carisiaca (de Querzi); quibus confirmatur damnatio Gothescalchi. Verum libros hujusmodi nec Eccl. Lugd., nec B. Remigio tribuendos esse, perspicue demonstrant Honoratus a S. Maria Carmelita Discalceatus, et Joannes B. Duchesne S. Jesu in lib., cui titulus: *Le Predestinatianisme*. Decessit an. 875.

Strabo Walafridus Ab. ex Operibus Rabani Mauri expositionem descripsit sacrorum Librorum; Glossam composuit, quae *Ordinaria* dicitur, et *Magistralis*, quae deinceps aucta, et ornata fuit, praesertim a B. Anselmo, adjectis PP. Sententiis. Librum quoque vulgavit *De divinis Officiis*, seu Exordiis

diis Rer. Ecclesiasticarum. Trithemius, Sixtus Senensis, Possevinus, Bellarminus *Glossam* adscribunt alteri Straboni Fuldensi; sed Canisius, et Vossius Fuldensem Strabonem eumdem faciunt cum hoc Strabone Augiensi Abbate, qui primum fuerat Monachus Fuldensis. Obiit ultra medium saec. IX.

Usuardus Gallus, Monach. Benedic. S. Germani Parisiensis circa an. 870. scripsit Martyrologium, quo Ecclesia Romana, aliaeque permultae utuntur.

Luitprandus ex Diacono Ticinensi Ep. Cremonensis floruit saec. X., scripsit Lib. 5. rerum suo tempore gestarum, liber 6. ab alio additus est. Lib. de Gestis RR. Pontificum a S. Petro ad Formosum, qui sub ejus nomine una cum Anast. Bibliothecarii Pontificali, et Abbonis Floriacensis Epitome de Vitis eorumdem Pontificum prodiit opera Jo. Busaei, suspectus est Vossio, et Monacho Germano ab eo potius adscribitur sub an. 895.

Regino Prumiensis Ab. Chronicon scripsit in duos libros distinctum à Nativitate Christi ad an. 908.; appendix tamen pertingit usque ad 967. Item Tractatum de Disciplinis Ecclesiasticis, ac religione Christiana in 90. ferme Capitula distinctum, qui juxta Trithemium, nihil aliud est, quam collectio Canonum.

Simeon Metaphrastes flor. ab an. 950., aut ulterius, praesertim sub Constantino Porphyrogenito. Fuit Imperatoribus a Secretis,

et

et intimus Consiliarius; scripsit Vitas Sanctorum, *multis additis*, ut scribit Bellarminus, *ex proprio ingenio, non ut res gestae fuerunt, sed ut geri potuerunt: addit Colloquia, seu dialogos Martyrum cum persecutoribus, aliquas etiam adstantium Paganorum conversiones in tanto numero, ut incredibiles videantur; denique miracula plurima, et maxima, in eversione Templorum, et Idolorum, et in occisione persecutorum, quorum nulla est mentio apud veteres Historicos*. Haec Bellarmini censura displicet Bollando in Praef. generali ad Vitas SS. §. 3. Quia tantarum Provinciarum modico tempore ad Christum conversio non sine maximis miraculis haberi potuit. Nec conficta haberi debent colloquia illa, etsi forte explicatius proposita, praesertim quia credibile non est, hominem Aulae assuetum levis fidei esse.

SÆC. XI. ET XII.

Algerus Monachus Clunicensis scripsit contra haeresim Berengarii libros tres, in quibus nonnulla correctione digna inveniuntur. Floruit saec. XII.

S. Anselmus Monachus Benedic., postea Ep. Cantuariensis et Doctor, multa et eximia Opera dedit in lucem. V. C. 6. §. 60. Obiit an. 1109.

Berno Augiensis Ab. floruit saec XI. Ejus est liber de *Officio Missae*, seu de rebus ad Missae Officium spectantibus.

S.

S. Bernardus Ab. Claravallensis, sanctitate non minus, quam doctrina clarus, qui sapide, devote, et eleganter plurima scripsit, ut ejus Opera testantur. Porro Bernardus fuit sui temporis decus singulare, Pontificum, Episcoporum, Regum, et Principum quasi Magister, et Oraculum, et sui aevi Haereticorum tamquam flagellum. Obiit an. 1153., aet. suae 63. post fundata in variis regnis, atque Provinciis 160. Monasteria. V. C. 5. §. 62.

S. Ivo Ep. Carnotensis fecit Collectionem Decretorum, quae dicitur *Decretum Ivonis*. Scripsit ulterius Epistolas 287., et Sermones 24., ac tandem breve Chronicon de Regibus Francorum. Alterum Chronicon a Nino ad Ludovicum Pium, non hujus Ivonis, ut nonnulli putarunt; sed Hugonis Floriacensis esse, ex mss. Abbatiae Regalis S. Victoris ad muros Parisienses compertum est. Obiit 1115.

S. Petrus Damiani, sic dictus a Damiano fr. suo, quem loco patris semper veneratus est, ex Monacho Benedic. Ep. Ostiensis, et Card., post multas pro Eccl. Rom., et Cleri reformatione legationes, et exantlatos labores, et egregia scripta edita, sanctissime obiit an. 1072.

Theophilactus Ep. Acridae in Bulgaria multa dedit Commentaria in sanctam Scripturam, et Opera S. Joan. Chrysostomi, in cujus lectione erat assiduus veluti, in epitomen redegit. Non bene sensit de processio-

ne Spiritus S. a Filio. Obiit circa finem saec. XI.

Gratianus Italus Benedic. floruit usque ad an 1151. Collegit Decreta Canonica, et ea simul conciliare nititur. Opus hu usmodi inscribitur *Concordia discordantium Canonum:* citatur autem semper sub nomine *Decreti*.

Goffridus Ab., et Cardinalis, scripsit Lib. 5 Epistolarum, Opuscula 8., Serm. 51. Post multa passus pro Ecclesia Romana obiit an 1130.

Honorius Presbyter Augustodunensis inter alia Opera non pacua seriem conscripsit RR. Pontificum a S. Petro ad Innocentium an. 1130. electum; item et Catalogum Haereseon.

Hugo a S. Victore, seu Victorinus, natione Saxo, Canonicus Regul. in Coenobio S. Victoris Parisiensis solitus cognominari *alter Augustinus*, vel *lingua Augustini*. Obiit an. 1140.

Joachim Ab. Ord. Cisterciensis, ex Calabria oriundus. Ejus liber contra quasdam Magistri sententiarum opiniones damnatus fuit in Con. Lateran. IV., sed intacta relicta fuit ejus persona, quia vivus Opera sua judicio subjecerat Sedis Apostolicae. Flor. saec. 12., et sub initium XIII. decessit.

Odo Cameracensis, Ab. S. Martini Tornacensis, ac postremo Ep. Cameracensis. Hujus Opera habentur in Biblioth. Patrum. Obiit an. 1113. in Monasterio Aquicinctino (Anchin) propè Duacum, quo secesserat post e Sede sua expulsionem ab Henrico IV. Imper., a quo Episcopalem investituram no-

luit accipere .

Otho Leopoldi Marchionis Austriae fil., et Conradi III. Imper. frater , Monachus Cistercien., et postea Ep. Frisingensis , scripsit libros septem Chronicorum ab initio M. usque ad sua tempora, nempe ad an. 1146. Sanctissimè obiit an. 1158.

Petrus Blesensis (Blois), Londinensis Archidiaconus , et Archiep. Cantuariensis Cancellarius, ipsiusque Regis Procancellarius, jussu Alex. III. Papae ad Sultanum Iconii scripsit Epistolam de institutione fidei . Floruit usque ad an. 1200.

Petrus Comestor, seu Manducator, Parisiensis Eccl., et Academiae Cancellarius, ac tandem Canonicus Regul. , Auctor fuit Historiae Scholasticae, sive enarrationis Historicorum voluminum S. Scripturae . Vixit usque ad finem saec. XII.

Richardus S. Victoris, natione Scotus, professione Canonicus Regul. , vir, ut inquit Sixtus Senensis, honestate conversationis, et doctrina conspicuus scripsit praecipue de Asceticis . Decessit an. 1173.

SAEC XIII. XIV. XV. CUM RELIQUIS.

Quoniam nunc tandem ad tempora Scholasticorum devenit Catalogus noster , paucis rem totam absolvemus, ne semel dicta, iterum refricemus inutiliter. A tempore namque Petri Lombardi sub Cap. 6. et 7. juxta ordinem saeculorum celebriores profecto recensuimus Scriptores Scholasticos, Summistas, Historicos, Polemicos , Expositores ec. Suis ergo locis eosdem consulant Tyrones mei .

Adhuc tamen de paucis loquemur eruditionis causa.

Albertus M., natione Germanus, professione Dominicanus, S. Thomae Magister, Ep. Ratisbonensis, plura admodum scripsit; ejusque Opera 21. Tom. in folio continentur, cusa Lugduni an. 1651. Obiit 1280.

Alexander Halensis Anglus, ex Ord. S. Francisci, magister S. Bonaventurae, et ipse plura scripsit Opera, de quibus tamen sola superest Summa Theologica. Decessit Parisiis an. 1245.

De S. Thoma Aquinate, e S. Bonaventura DD. V. C. 6. §. 63. Ambo mortui sunt an. eodem, nempe 1274. Ille die 7. Martii, aet. an. 50., iste 14. Julii, aet. an. 53.

Alvarus Pelagius percel. Theologus Franc. postea Ep., qui Summam Theologiae edidit, aliudque Opus egregium, cui tit. *De Planctu Ecclesiae*. Obiit an. 1352.

S. Antonius de Padua dictus, sed patria Ulyssiponensis, professione Franciscanus, scriptis, praedicatione, et frequentibus miraculis pene innumeros ad fidem, et bonos mores convertit. Diem clausit extremum Paduae an. 1195., an. natus 36.

S. Dominicus Hispanus ex Canonico Regul. Eccl. Oxomiensis Ord. Praedicatorum Fundator. De scriptis B. Dominici V. Natalem Alex. Obiit Bononiae 4. Aug. an. 1221.

S. Franciscus Assisias, Fratrum Minorum Fundator inclytus, nonnulla scripsit, quae in unum volumen collecta extant cum

Ope-

Operibus S. Antonii de Padua. Obiit an. 1226.

Hugo Carensis, sive de S. Caro, ex Dominicano Cardinalis, *Concordantias Bibliorum* primus excogitavit. Pie obiit Lugduni an. 1262.

S. Antoninus Florentinus, et ex Dominicano ejusdem urbis Archiep. an. 1446. Summam Theologicam, et Historicam composuit, aliaque Opera scripsit. Obiit an. 1459.

S. Bernardinus Senensis ex Ord. S. Francisci, Concionator fuit potens sermone, et opere. Varia scripsit, praesertim Sermones. Obiit an. 1444. 20. Maji, aet. an. ad summum 63.

S. Joannes a Capistrano Minorita, cujùs plurima extant Opera, tam de Theologicis, aliisque rebus tractantia. Decessit an. 1456.

Idiota diù incognitus; is autem est Raymundus Jordanus, primum Praepositus Ucetensis (Uses), deinde Ab. Cellensis. Scripsit multa, et hujus sapientis Idiotae Opera miram spirant pietatem. Flor. saec. XIV.

Joannes Gerso Gallus obiit an. 1429. Lugduni, quia post Concilium Constantiense Parisios reverti prohibitus fuit. Plura scripsit, praesertim de Potest Ecclesiae, R. Pontificis, et de Ecclesias. Hyerarchia. Mira fuit pietate affectus erga B. Virg. Sponsum D. Josephum.

Nicephorus Callixtus Monachus Historiam Ecclesias. conscripsit ex praecedentium Script.

Script. monumentis, nempe Eusebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, et Evagrii. Hoc Nicephori Opus cum delectu, et acri judicio legendum, monent viri eruditi, quia fabulas multas ex incertis, dubiaeque fidei Auctoribus sparsas hinc inde connectit. Flor. saec. XIV.

S. Raymundus de Pennafort Barcinonensis ex Ord. Praedic. scripsit Summam Casuum Conscientiae, *magnae doctrinae, et auctoritatis* (ut inquit Clemens VIII. in Bulla Canoniz.), *et tam Confessariis, quam confitentibus valde utilem, ac necessariam*. Collegit etiam RR. Pontificum Decreta in unum Decretalium volumen. Ferunt tandem scripsisse *de ratione visitandae* Diaeceseos, modum juste negotiandi pro Mercatoribus, de Bello, ac Duello. Obiit an. 1275.

Raymundus Lullus, de quo apud Criticos magna controversia. Multa ipsi attribuuntur, et obiisse dicitur an. 1315.

Thomas Valdensis Anglus Carmelita, adv. Hussitas, Wicleffitas, aliosque sui temporis Haereticos docte, et fortiter dimicavit; vir sane Ordinis sui, et Theologiae decus eximium. Decessit Rothomagi (Roven) an. 1430.

S. Thomas a Villanova ex Ord. S. Augustini, et Ep. Valentinus sanctitate, et scriptis Ecclesiam illustravit. Obiit an. 1556.

Nunc, Scholasticis dimissis, de quibus satis, ut supra innuimus, Cap. 7. et 8., en tibi, studiosissime Lector, celebriores Dogma-

maticos, et Polemicos, qui superioribus saeculis usque in praesens scripserunt.

Melchior Canus Dominicanus, qui Lib. 12. scripsit de Locis Theologicis, ex quibus argumenta sumuntur ad refellendos Haereticos, et sacra dogmata confirmanda: quare magnum sibi nomen comparavit. Cui addes Franciscum Horantium Franc., qui simile opus sub id temporis vulgavit. V. C. 7. §. 76.

Laurentius Brancatus Minorita, postea Card., qui Commentaria scripsit in 3., et 4. lib. Sentent. 7. Volum. comprehensa, quibus etiam adjunxit Canones omnes tum Generalium, tum particularium Conciliorum. Floruit saec. XVII.

Hyacintus Serryus pariter Dom. qui sub initio flor. labentis jam saeculi, in suo Opere *Praelectiones Theologicae* 5. Volum. comprehensae.

Joannes Maldonatus Jesuita, qui rem Theologicam acri judicio explicavit, et haereses, quae tunc grassabantur, confutavit sapienter: quare hac de causa multum se probavit etiam posterioribus. Consule Possevinum Bibliot. Select. l. 3. C. 9.

Antonius Possevinus item Jesuita, qui licet data opera de hac ipsa materia, ut alii fecerunt, scribere non sit aggressus: attamen in suo *Apparatu Sacro* utilia plurima docet, quibus ratio tradendi Theologiam potest emendari.

Ludovicus de Corvajal ex Franc. familia

lia in singulari suo libro *restitutae Theologiae*. Quibus addi possunt, qui saec. XVI. de reformanda Theologia Scholastica serio cogitarunt. Inter quos eminent praecipue Laurentius a Villavincentio Hisp. ex Aug. sodalitio in suo *de formando Theologiae studio*; et Christoforus a Capite Fontium Anglus, Fran. familiae Minister Generalis, qui librum edidit Parisiis an. 1586. *de Theologia Scholastica corrigenda*.

Bellarminus Jesuita, Cardinalis in egregio suo, et copioso Controversiarum Opere. Vir quidem magnus fuit Bellarminus ingenio, eruditione, peritia linguarum, modestia, labore, qui esto in tam magnis voluminibus, ut advertit Franciscus Veronius Jesuita in *Methodo Controversiarum*, et *in Regula fidei Cathol.*, inutilia multa, et quae ad rem non faciunt, protulerit: hoc ipsi tamen laudi vertendum est, et quia primus inter nostros de omnibus controversiis cum Haereticis data opera calamum acuerit, quare Haereticis odiosus, et gravis; et quia tunc disputandi ratio cum Haereticis ad lumen, et splendorem, in quo modo est, nondum devenerat.

Bellarmino adjungimus Jacobum Gretserum, qui contra Haereticos Bellarmini libros fortiter defendit; Valentiam, Becanum, Canisium, Costerum, qui eo tempore bella cum Haereticis feliciter gesserunt. Honorabile quoque nomen sub iisdem temporibus reliquerunt Jo. Ekius, Petrus Soto Domin., Thomas Stupletonus, Perronius Card., Joan.

Fa-

Faber Domin. Ep. Viennensis, Jo. Cochlaeus, Thomas Valdensis, Jodocus Coccius, Jacobus Paiva de Andrada, Andreas Vega, Alphonsus a Castro, Claudius Espencaeus, Guillelmus Lindanus, Stephanus Gardinerus. Hi omnes Theologi saec. XVI.

Saeculi autem XVII. praecipui sunt Franciscus Veronius, Petrus Cutthonius, Joan. Gonterius, Laurentius Forerus, Jacobus Kellerus. Clariorem tamen his tum diligentiae, tum eruditionis famam adepti sunt Adrianus Ep. Adrianopolitanus, et Petrus de Wallemburch Ep. Misiensis, quorum Opera egregia contra Protestantes conjunctim edita sunt Coloniae an. 1669. et seq. in duobus voluminibus in folio. Hi duo Episcopi Protestantes aliquos sibi adversantes experti sunt; ideo eos fortiter refutarunt.

His accedit Jacobus Benignus Bossuet, Gallus Ep. Meldensis, vir utique praestanti ingenio, studio flagranti, et solidae Theologiae bene peritus, cujus nomen apud nos nedum, sed et apud Haereticos celebre est. Plura, et varia scripsit Bossuetus. Ejus inter Opera celebrantur praecipue *Expositio doctrinae Catholicae*, *Collatio cum Claudio Ministro Charentonio de Ecclesia etc. Tractatus de Communione sub duabus speciebus*, in quo Lutherum, Callixtum, et Jurieum confutat. Zelum suum exercet contra Protestantes, Jurieum, Claudium, Ferrium, aliosque. Praecipuum tamen Bossueti Opus est *Historia de variatione Protestantium Ecclesiarum*, ubi de-

mon-

monstrat, Protestantes in religionis doctrina mutabiles esse, nec sibi constare. Hinc egregie respondet libro Jacobi Basnagii ex Pseudo Reformatis, qui scripta nonnulla, praesertim *Hist. Ecclesiasticam a Christo nato usque ad hanc aetatem*, ipsi Bossueto opposuerat. Varia de Bossueto doctorum hominum judicia feruntur, quae expendere nostri muneris haud est. Unum certum est, inter Polemicos saec. sui pares eum habuisse paucos, neminem superiorem.

Sequitur Antonius Arnaldus D. Parisiensis, de quo tam multa in utramque partem proferunt eruditi. Porro omni laude digna sunt *Apologia pro Catholicis*, et Opus *de perpetua fide Eccl. Catholicae quoad Eucharistiam*, in quo Joan. Claudium, aliosque profligavit; de quo duplex judicium circumfertur; alii namque integrum Arnaldo, alii partim Arnaldo, partim Petro Nicolio attribuunt. Cetera ejus Opera Theologica jam vulgata sunt, sed ea, in quibus Jansenismum defendit, parvi faciunt boni Theologi Romani, et nos cum ipsis, quia jure, meritoque Jansenismum detestamur.

Arnaldo conjungimus Petrum Nicolium virum sane eruditum, et praestantis ingenii, ut se praesertim exhibet in libro inscripto: *Praejudicia de unitate Ecclesiae, et de Reformatis Schismaticis convictis*. Quoniam vero vir iste in eadem Arnaldi causa fuit, non dissimilia fata expertus est; et certe nonnisi caute legendus est.

Sunt

Sunt et alii plurimi, qui hoc, et nostro aevo scripserunt. Celebriores sunt Gilbertus de Choiseul, Leo Alliatus, Pellissonius, Anselmus Parisiensis, Jo. Morinus, Dionysius Petavius, Natalis Alex., Franciscus Feu, Ludovicus Thomassinus; proxime Laurentius Berti, Ludovicus Muratorius, Jacobus Boileau, Cordemoi, D' Antecourt, Daniel Concina, Liberius a Jesu, Michael de Vassor, Vitus Pichler Jesuita, qui Cursum edidit *Theologiae Polemicae universae*, Card. Cozza Minorita, qui Commentaria edidit in lib. S. Augustini de haeresibus (T. 2. in folio), et Historiam Polemicam de Graecorum schismate (T. 4. in folio); aliosque, quorum omnium nomina calamo notare, res esset molestiae plena.

Postremo jam recensitis adjungi debent hi, qui postremis hisce saeculis Positivam Theologiam cum Scholastica conjungere adorti sunt, non quidem contentiose, sed sobrie, dilucide, et cum delectu. Hujusmodi sunt Jo. Baptista Du-Hamel, in sua Theologia, ejusque Epitome, Claudius Frassenius, Assermetus, Bouchatus, Tournelyus, Vitassius, Gattius, Habertius, Jueninus, Argentraeus, Claudius de Petit. De quibus in Hist. nostra Theologiae paullo superius sermo fuit.

Vide, mi Lector, quam spatiosum pratum, variis undique, et fragrantibus floribus abunde repletum; illud percurre, lustra, selige, collige, olfac, degusta; quia in hoc

ipso exquisitum quodcumque delectamentum capiens, beatus eris, jucundus tibi, utilis Ecclesiae.

CAPUT XI.

De Theologorum, et Scholasticorum Auctoritate.

SEptimus Theologiae fons, sive locus Theologicus, est Scholasticorum Doctorum auctoritas. Verum hunc locum moderni Haeretici non tantum elevant, et parvipendunt; sed insuper explodunt, et exhibilant. Prae ceteris vero impius Lutherus, qui in libro adv. Jacobum Latomum scribit, Scholasticam Theologiam nihil esse aliud, quam ignorantiam veritatis, inanemque fallaciam, quam damnat Apostolus ad Coloss. C. 2. Libro autem de abroganda Missa privata, Academias dicit esse Anti-Christi lupanaria. Philippus quoque Melanchthon, in Apolog. contra Parisienses Lutetiae, ait, natam esse profanam Scholasticam, qua admissa, Evangelium obscuratum, et fidem extinctam. Sed more suo blaterant Hetherodoxi, falli et fallere volentes: nos enim jam demonstravimus tria esse bonae Scholasticae eximia munia in Reg. I. ad Cap. 8. Quare id unum remanet sciendum, quantum nimirum facienda sit Scholasticorum Doctorum auctoritas: quo quidem in negocio parum dissimili ratione, ac de Patrum auctoritate statuimus, philosophandum est, regulis quibusdam observatis. RE-

REGULA I.

Scholasticorum Theologorum etiam plurimorum assertio, dum pugnantes sunt ex adverso alii viri docti, non plus valet ad fidem faciendam, quam vel ratio ipsorum, vel gravior auctoritas comprobavit. Scholasticae namque disceptationes non numero auctorum, sed pondere rationum judicantur, finiuntur: hinc paucorum, sed gravium, auctoritas stare optime poterit adversus multorum auctoritatem.

REGULA II.

Ex Scholasticorum omnium communi sententia in re quidem gravi adeo probabilia sumuntur argumenta, ut illis refragari, temeritas sit. Quandoquidem in qualibet arte, et scientia, ratio ipsa et prudentia docent, scientibus standum esse, atque peritis; adeout parum sanus, stultus, ac imprudens habeatur, qui artis alicujus peritis non credit. Sicque non credere Theologis in idem consentientibus, temerarium dubioprocul erit.

REGULA III.

Concordi omnium Theologorum sententiae de fide, aut moribus contradicere, si minimè est haeresis, certe haeresi proximum

adjudicandum. Eaedem rationes, quas ad probandam Reg. IV. Cap. 9. de Auct. PP. adduximus, et hanc ipsam ostendunt. Hac tamen praecipua ratione suadetur: quod scilicet nullum reperiatur dogma, quod eodem sensu, eodemque ore Scholastici omnes certo, ac firmiter protulerint, quod ipsum universa non teneat Ecclesia, eorum auctoritate mota. Quod si aliquod hujus generis habent Haeretici, illud proferant, et tacebimus. Addimus, quod nullum tam proprium est Scholae decretum, quod ipsa vel ex sacris Literis, vel traditione Apostolorum, vel ex Conciliorum, et Ecclesiae definitionibus non desumpserit. Quapropter qui Scholae impugnat, vel negat unanimem sensum; et loca illa, ex quibus emergit, impugnet, et neget, necessarium est saltem implicitè, et de consequenti.

CAPUT XII.

De recto usu rationis.

QUid sit ratio, si quaeras? respondemus, illud esse lumen, quod a Creatore Deo super nos obsignatum, quodque proinde in omnes facultates dominatur, nec ulla sine ratione potest acquiri: idcirco et in hac re Theologica, de qua disserimus, locum habet. Sed dum rationem dicimus, non facultatem illam, qua anima rationalis cogitat, intelligit, ratiocinatur, indicamus hoc lo-

co

co, sed rationis ipsius rectum usum. Pro cujus rei obtentu duos ex diametro oppositos errores, vitemus oportet. Primus illorum est, qui usque adeo argumentis a ratione deductis inhaerent, ut tam in disputando, quam in scribendo quamlibet auctoritatem despexisse, sanctas Scripturas, SS. Patrum libros nec legisse quidem videantur. Quos sic carpit Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. C. ult. *Derelinquentes sanctas Scripturas Dei, geometriam tractant, et qui vere de terra sunt, de terra loquuntur; et ideo de eo, qui de sursum est, et de Caelis venerit, ignorant*. Hujus generis Theologos fuisse, qui auctoritati rationem praeferrent, testantur quoque Augustinus (Epist. ad Dioscorum n. 56.), et Bernardus (Epist. 189.). Hujus tandem furfuris plurimos extitisse ex veteribus Scholasticis, innuimus supra Cap. 6., eorumque volumina sophismatibus, inutilibus vanisque quaestionibus, et rationibus ineptis plena ultra satis ostendunt. Alter huic oppositus error illorum est, qui adeo abhorrent, et abstinent ab argumentis rationis, quasi ipsa infensa sit, ac Theologiae inimica; hinc solis Scripturarum, Auctorumque testimoniis, omnia definita facere delectantur. Theologos sic affectos fuisse nonnullos priscis temporibus, testatur Clemens Alexand. Lib. 1. Stromatum. Lutherus ipse Philosophiam, ac ceteras speculativas facultates non solum inutiles, et noxias Theologo fecit; sed etiam errores appellavit. Cum ergo rationi vel nimium tribue-

buere, vel eam prorsus respuere, duo sint extrema aeque vitanda: Theologus ita se gesserit in humanae rationis usu.

REGULA UNICA.

Ratio, et auctoritas sibi invicem quodammodo amplectantur, et osculentur, nec ratio auctoritati, praesertim divinae, obsit, nec auctoritas more pecudum recipiatur; obsequatur, ut decet, auctoritati ratio, sed ratio auctoritati non detrahat; expendat ratio auctoritatem, sed auctoritas fulciatur rationi. Quandoquidem Theologia vera cum a fide descendat, propria sua principia in revelatione habeat, oportet: sic non bene de re Theologica disputarent, qui Scripturam sanctam, Apostolorum Traditiones, Conciliorum, et Ecclesiae Decreta, Sanctorumque Patrum doctrinam vel ignorant, vel rejiciunt. Ratio autem cum limitibus quibusdam coarctetur; necesse hinc est, ut obsequium praestet auctoritati. Ast quomodo absque lance rationis, et acumine ingenii poterit quis Theologiam excolere, tradere, atque tueri? Abjiciatur itaque ratio humana, et Theologia ipsa jacet. Sublata namque omni disputandi ratione, fides sancta rusticitas manet, quae, ut ajebat Hieronymus ad Paulinum, quantum prodest vitae merito, tantum simplicitate nocet, si adversarius non resistat. Doctor quippe paratus esse debet de omnibus, et cuique, rationem red-

reddere, quod sola fide sine ratione haud potest obtineri. Scrutemur igitur Scripturas, scrutemur dogmata; sed non simus curiosi, quod praecavet Apostolus, non plus sapere, quam oportet sapere.

CAPUT XIII.

De necessitate, et usu Philosophicae facultatis.

PHilosophiae facultas quantum sit Theologo utilis nedum, sed etiam necessaria ex eo statim apparet, quod nullus athleta, ut inquiebat Clemens Alexandr., esse possit, qui non se prius ad certamen instruxerit. Theologus autem, cui cum multiformibus adversariis fidei certamen est ineundum, si multiplici disciplina instructus non sit, qua ratione pugnabit? Est enim Philosophia, quae mentem aperit, acuit ingenium, animi vires exercet; quae docet rectè ratiocinari, ornate loqui, componere, dividere, sophismata detegere, amphibologias dissolvere, et omnia quaecumque apte disponere, firmare, tueri. Quomodo autem haec omnia efficere valebit, qui in forum Philosophiae numquam descendit, vel salutavit a longe? Computabis ne istum inter Theologos? Est igitur Philosophia Theologo necessaria, ut scribit Clemens Alexand. (Lib. 1. Stromat.) triplici ex caussa: 1. ad Philosophos edocendos: 2. ad refellendos Sophistas: 3. ad ornatum, atque delectationem. Multiplex nam-

namque Praeceptoris doctrina, et delectat, et admirationem parit, sicque auditores captat jucunde. Quare Theologus, qui nec ingenii acumine valeat, nec splendida, concinnaque rerum dispositio, nec humanarum facultatum copia ipsum exornet, facili negotio despicitur. Mirum quidem, cur Lutherus Philosophiam errorem dixerit, inanemque fallaciam! Cum sine ipsa ad Theologiae sacros recessus pertingere, datum non sit. Quomodo enim quidquam in Schola de divinis rebus definias, aut ordine concinno disponas? Quomodo concionando recta populis suadeas, aut dissuadeas prava, si opem contemnas Philosophiae? Sunt insuper quamplurima in sacris Literis, quae sine Philosophiae, Arithmeticae, Geometriae, Geographiae, ac etiam Astronomiae adjutorio intelligi, et expediri nequaquam possunt. Lege Genesim, Libros Salomonis, Psalmos Davidis, Jobum, Prophetas, ceterosque demum Divinos Libros, et statim intelliges, quantum haec, quae dicebamus, vera sint.

Sed quaeres fortasse: quae Philosophia excolenda est, ut ad Theologiae studium aditus aperiatur? Gratias Deo agere debemus, quod barbara illa Aristotelica, et Averroesiana Philosophia, quae veterum Scholasticorum aetate tam gravia damna intulit Theologiae Christianae, ab Scholis nostris nunc tandem exulata est, et alia undequaque nobilior, et excultior in ejus locum suffecta. Hic tantum Tyronem meum de duo-

bus

bus monitum velim: primum est, ut non adeo alicui Magistro, aut Scholae sectator adhaereat, ut jurasse videatur in verbo Magistri: decet enim Philosophum, non minus ac Theologum philosophandi libertas; servitus namque (ex Reg. 4. C. 8.) inimica est veritatis; et Eclecticae philosophiae institutum sectari, aequum est. Alterum, ut philosophicis studiis non plus, quam decet immoretur; praesertim in rebus Mathematicis, et Astronomicis, de quibus certa notitia, et scientia haberi non potest. Si enim, ut inquit Auctor Sapientiae, *Difficile aestimamus, quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt, invenimus cum labore: quae autem in Coelis sunt, quis investigabit?* (Cap. 9. v. 16.). Quid namque prodest homini tam longas disputationes texere de substantia, seu materia coelorum, de motibus, atque distantiis planetarum, de ipsorum magnitudine, et forma, deque influxu in sublunaria corpora? Haec consequi, prout sunt, numquam datum erit hominibus. Quaerere: an in luna, ceterisque planetis sint homines degentes, bestiae et plantae, montes et planities, aliaq. similia: nonne inutilia haec sunt prorsus, et vana? An non dicere possumus cum Divino Ecclesiaste: *Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum ut occuparentur in ea?* (Cap. 1. v. 13.). Ego Philosophiam dignam viro Christiano illam voco, quae utilis est nobis, utilis societati; illam, quae ad altiora studia viam aperit, lumen suppeditat ad intel-

telligendum opera Dei, et ad Sanctas Scripturas profundius inspiciendum, et omni ex parte apta est ad tuendum Catholica dogmata: non jam illam, quae curiositatem pascit, nutrit vanitatem, et ipsi revelationi satis est indecora, quaeque detinet inconsultò in ipsa progrediendi via, et tempus insumere facit inutiliter in seriis gravibusque negociis.

CAPUT XIV.

De Historia humana.

GRadatim descendentes tandem pervenimus ad humanam historiam, quae inter theologicos fontes ultimum tenet locum. Et hanc plurimum esse utilem Theologo, breviter ostendimus. Cum etenim saepe contingat, Theologicas disputationes circa res in antecessum gestas versari: in his profecto deficiat Theologus, necesse erit, si historiae cognitione careat, neque in promptu habeat ex Annalium monumentis testes clarissimos veritatis. Hinc factum est, quod multi, etiam ex SS. Patribus, ex defectu historicae cognitionis in varios errores prolapsi fuerint. Quare S. Augustinus monet consulto (Lib. 2. de Doct. Chr. C. 28.), Ethnicorum etiam historias ad intelligentiam Scripturae Sacrae plurimum conferre; simulque ostendit, ex earum ignorantia quosdam circa Scripturas errasse. Qui igitur historias, et Ecclesiasticas, et profanas ignoraverit, numquam

quam erit optimus, et omni ex parte excultus Theologus. Unum restat, ut sciamus, quantum Theologo praestet Historiae auctoritas.

REGULA I.

Praeter sacros Auctores nullus alius certus esse potest, et idoneus ad fidem certam, et firmam faciendam in re Theologica. Quisquis enim scripserit naturae lumini innixus, aliorum aut ductus auctoritate, aut certis temporum, et locorum, et personarum circumstantiis motus; errare dubioprocul potuit: neque sane ullus est, qui in multis non deficiat.

REGULA II.

Historici graves, accurati, ac fide digni, quorum fuisse nonnullos cum in Ecclesiasticis, tum in saecularibus, inficiari non potest, probabile suppeditant Theologo argumentum, et ad suas disputationes roborandas, et ad falsas adversariorum opiniones refellendas. Siquidem non est hominis bene instructi, et ad vitam humanam rectè compositi, viro de re aliqua fidem facienti non credere. Neque idcirco absque examine omnia credere debemus, quae scripta a viris gravibus inveniuntur. Aeque enim reprehensibilis est, et qui cito credit, quia levis est corde, et qui ad credendum nimium est tar-

tardus et pertinax , quia docibiles esse oportet .

REGULA III.

Si omnes probati, gravesque Historici in eamdem rem gestam asserendam conveniant: tunc ex eorum auctoritate certum desumitur argumentum, quo Theologiae dogmata firma ratione constituantur: Ita quia graves omnes, et probati Scriptores tradunt, S. Petrum sedem Romae collocasse, ibique martyrium subiisse pro Christo: id pro certo, exploratoque habemus. Hinc consensum probatorum Scriptorum improbare, pertinacia est, summaque stultitia, cachinnis digna, et risu.

CAPUT XV.

De Notitia Librorum utriusque Juris, Civilis, et Ecclesiastici.

ANtequam finem accipiat praesens hic Liber, gratam jucundamque rem facturum puto Tyronibus meis, si aliqualem notitiam postremo adjiciam utriusque Juris, eo quod praesertim Ecclesiasticum, magnam habeat cum re Theologica affinitatem. Tria ergo quaeremus; quid sit utrumque: in quo contineatur: quomodo citari soleat?

Jus itaque Canonicum, sic dictum quia Canonibus constat, et regulis Ecclesiasticis:

Et

Est Collectio Canonum, seu Decretorum Ecclesiasticorum, auctoritate Ecclesiae vel facta, vel approbata. Jus Canonicum aliud dicitur *commune*, estque illud, quod pro universa Ecclesia constitutum est, omnes fideles respicit, et obligat; aliud *speciale*, et illud habetur, quod solum pro certo loco, Provincia, Dioecesi, vel Communitate latum est, quorum extra fines pro ceteris nullam habet obligationem.

Jus Civile est illud, quod quisque populus, vel quaeque Civitas sibi proprium divina, humanaque causa constituit. Et hoc quoque dividitur in commune, et particulare, seu municipale. Primum est illud, quod est commune omnibus Provinciis, et incolis Romano Imperio subjectis, quodque propriè dicitur Jus Civile Romanum, quatenus est Collectio legum Romanarum edita a Justiniano Imperatore. Alterum est, quod non ligat, neque respicit subditos Romani Imperii, sed tantum incolas Loci, Territorii, aut Provinciae, pro quibus conditum est.

Jus Canonicum commune, et hodiernum, de quo solo nunc sermo est, in tribus voluminibus, et sex Collectionibus totum continetur. Volumen primum vocatur Decretum Gratiani, quia ipse ex Dionysio Exiguo, Isidoro Hispalensi, Cresconio Affricano Ep., Reginone Prumiensi, Burchardo Wormatiensi, Yvone Carnotensi, improbo labore an. 24. in unum Corpus collegit Conciliorum tum Generalium, cum Particula-

rium

rium Canones, RR. PP. Decreta, quae insuper firmavit SS. Patrum dictis, atque sententiis: quod Corpus inscripsit, ut paulo superius dictum est: *Concordantia discordantium Canonum*; eo quod in speciem discordes conciliarit.

Decretum hujusmodi tribus partibus constat. Prima agit de Ecclesiasticis Personis, et complectitur 101. Distinctiones, quarum singulae multis ordinarie constant Capitibus, seu Canonibus. Altera tractat de Actionibus, sive de Judiciis Ecclesiasticis, et continet 36. Causas, quae in varias partiuntur Quaestiones, multis item Capitibus conflatas. Quaestio vero 3 Causae 33. continet Tractatum de Poenitentia in 7. Distinctiones divisum. Tertia, cui Titulus est *De Consecratione*, agit de rebus sacris, et in 5. Distinctiones distribuitur.

Hoc Opus fuisse ab Eugenio III. approbatum, contendunt nonnulli; sed verosimilius est, privata solummodo auctoritate editum fuisse, ac proinde non plus habere auctoritatis, quam habent fontes, ex quibus desumpti sunt Canones. Quoniam vero mendae quaedam irrepserant in Decretum, ab iis magna ex parte purgatum est jussu, et cura SS. PP. Pii IV. et V., et Gregorii XIII. ac tandem ab Augustino Tarraconensi Ep. in Opere *De emendatione Gratiani*.

Canones autem, seu Cap. primae partis Decreti solent citari hoc modo: Cap. *Quorumdam*, Distinct. 23., seu Distinct 23. Cap. *Quo-*

Quorumdam: quo datur intelligi, quod Cap. ab isto vocabulo incipit *Quorumdam*, quodque reperitur in Distinct. 23.

Canones secundae partis sic: Causa 16. Cap. *Episcopo* quest. 6. Tractatus vero de Poenitentia (quem esse diximus in Cau. 33. quaest. 3.) hoc modo: de Poenitentia, distinc. 3. Cap. *Irrisor est*; hoc est Distinct. 3. Cap. quod incipit *Irrisor*.

Canones demum tertiae partis ita citantur: De Consecratione Dist. 5. Cap. *Manus*. Ordo iste invertitur aliquando, et primo citatur Canon, deinde Causa, vel Distinctio, ex. gr. Can. *Manus* de Consecratione Distinct. 5. Quod si contingat, plures Canones in eadem distinc. aut quaest. ab eodem vocabulo incipere: tunc additur numerus, quo possit citatus Canon designari, v. g. Cap. *Quando* 2. distinc. 44., hoc est 2. Cap. ex iis, quae incipiunt a voce *quando*, in distin. 44. Quod idem observatur in ceteris libris Juris Canonici. Moneo tandem, Lectorem meum, quod in aliquibus Editionibus ad calcem Decreti reperiuntur Canones Poenitentiales, hi nempe qui sub Apostolorum nomine vulgantur.

Secundum Volumen continet 5. Libros Decretalium, quae dicuntur Gregorii IX. quatenus ejus jussu S. Raymundus de Pennafort Canones in postremis Conciliis General. editos, nec non Decreta SS. Pontificum, praesertim vero Alexandri III., Innocentii III., et Honorii III. collegit ipse in unum, edi-

ediditque praefatos 5. libros Decretalium variis titulis distinctos, qui multa continent Capita. In primo lib. agitur de Personis Ecclesiasticis: in secundo de Judiciis: in tertio de Clericis, et rebus sacris: in quarto de Personis Laicis, seu de iis, quae spectant ad Sponsalia, et Matrimonium: in quinto de Criminibus, eorumque Poenis. Et hic quidem ordo servatur etiam in Sexto, Clementinis, et Extravantibus communibus. Hanc vero Collectionem factam an. circiter 1230. auctoritate Apostolica confirmavit Gregor. IX.

Allegatur autem hoc modo: extra de Simonia Cap. *Matthaeus*; hoc est, extra Decretum Gratiani, scilicet in Decretal. Greg. IX. titulo de Simonia, Cap. quod incipit *Matthaeus*. Aliquando non per verba, sed per numeros citantur. E. G. Cap. 1. de *Praebendis*. Nota bene: in unoquoque Titulo cap. omnia, quibus non praefigitur nomen Pontificis, tribui debent Pontifici illi, qui fuit ultimo designatus.

Tertium Volumen tribus constat partibus; quarum prima dicitur *Sextus*; altera *Clementinae*; tertia *Extravagantes*. Sextus sic vocatur, quia additus est 5. libris Decretalium Gregorii IX.; et RR. Pontificum, qui Gregorium inter et Bonifacium VIII. sederunt, Epistolas Decretales, ipsiusque Bonifacii Constitutiones complectitur. Evulgatus fuit ab ipso Bonifacio VIII. an. circiter 1298.

Ca-

Canones Sexti citantur eodem modo, quo Decretales Greg. IX., addita solummodo hac voce *in Sexto:* E. G. Cap. *si gratiose* de Rescriptis in Sexto. In fine hujus regulae Juris apponuntur.

Clementinae sunt Constitutiones Clementis V. in Concilio Viennensi editae, et ab ejus successore Joanne XXII. promulgatae circa an. 1316. Allegantur autem sic: Clementina *Quamvis* de foro competenti, vel Clementina unica de foro compet., vel etiam addito numero, ex. gr. Cap. *Nolentes* 2. in Clementinis de Haereticis.

Extravagantes ita dictae sunt, quia vagantur extra Corpus Juris Canonici: et hae aliae sunt Particulares, aliae Communes. Particulares sunt Constitutiones solius Joannis XXII., in 14. Titulos distributae. Citantur ita: Cap. *Ecclesiae* Extravag. Jo. XXII., vel etiam Cap. *ad onus*, 1. de electione, et electi potestate in Extrav. Joannis etc.

Communes sic appellantur, quia Constitutiones sunt plurimorum RR. Pontificum, qui paulo ante vel post Joannem vixerunt, ac ipsius Joannis XXII., a privatis collectae, non autem alicujus Pontificis auctoritate promulgatae: usu tamen receptae sunt. Dividuntur in 5. libros, quibus tamen deest Quartus *de Sponsalibus*. Citantur eodem modo, quo Particulares, addito solum *in Extravag. Commun.* Cum absolute citantur Extravag. semper intelliguntur Communes.

In quibusdam editionibus Juris inveni-

tur etiam liber 7. Decretalium, ex variis RR. Pontificum Constitutionibus conflatus; verum raro allegatur, quoniam privata tantum auctoritate editus est.

Praeter haec volumina Juris extat tandem Bullarium magnum, quod multis constat voluminibus, in quibus RR. Pontificum Bullae, et Brevia, aliaque multa colliguntur. Sunt autem Bullae concessiones, seu ordinationes quaedam in rebus gravioribus, quae nonnisi in membranis describuntur, sigilla plumbea habentes appensa, quae praeseferunt SS. Petri et Pauli effigiem. Breve autem Apostolicum est contracta, et abbreviata Scriptura, quae in negotiis minoris momenti conceditur, muniturque sigillo in cera rubra sub annulo Fiscatoris, et Secretarii subscriptione. Signaturae tandem Apostolicae sunt dispositiones, a Sede Apostolica proficiscentes, in papyro conscriptae, nec ullo munitae sigillo; quaeque ut plurimum his exprimuntur verbis: *Fiat ut petitur*. Versantur circa concessionem Beneficiorum, circa absolutionem, dispensationem, rehabilitatem ec.

Postremo Jus Civile commune, quod et Romanum, cujus paullo superius definitionem attulimus, in 4. partes dividitur. In prima sunt Institutiones Justiniani, quae 4. libris continentur, et quae sunt tamquam rudimenta, et elementa quaedam, exhibita tyronibus Juris Civilis. Citantur per paragraphum ita: §. 2. de Jure naturali, Gentium, et

et Civili, idest in libris Institut., titulo de *Jure naturali*; nam cum citatur §. non citata lege, materia, de qua agitur, in Institutionibus reperitur.

In secunda parte sunt Digesta, seu Pandectae, ubi immensa pene legum volumina digesta sunt, et 50. continentur libris, qui in varios titulos distribuuntur, tituli in leges, leges in §. Quoniam vero una cum Glossa unico volumine comprehendi non poterant tot leges: in tria volumina dispertiuntur; quorum primum nuncupatur *Digestum vetus*, quia prius editum; secundum *Infortiatum*, quasi dicas pleniorem, ac uberiorem legum notitiam suppeditans: tertium *Digestum novum*, hoc est prostremo editum.

Digesta, seu Pandectae citantur per duplex ff., seu per D., hoc modo: l. 1. §. 3. ff. de *Pactis*, sive D. de *Pactis*: hoc est lege 1. paragr. 3., quae lex in Digestis reperitur, Titulo de Pactis.

In tertia parte est *Codex*, qui primum ex priscis codicibus abbreviatis, Hermogeniano, Gregoriano, et Theodosiano, conflatus est. Verum cum in eo multa desiderarentur; illum uberiorem, et correctiorem edi curavit Justinianus an. 529. Vocatur Codex Repetitae Praelectionis; distinguitur in 12. libros, quorum leges sic allegantur: L. *Si quis* 5. Cod. de Episcopis et Clericis.

In 4. demum parte continentur Authenticae, seu Novellae Constitutiones a Justiniano latae, et promulgatae. Unicus est ha-

rum liber, novem constans Collationibus, quarum singulae in varios titulos, Novellasque dividuntur. Omnes Novellae sunt numero 168. Citari autem solent: Cap. *Neque igitur*, in Authentica de Testibus, hoc est Tit. de Testibus. Brevius, et facilius allegatur: Cap. *Neque igitur*, Novel. 90. Addi etiam posset Collatio, v. g. Collat. 7., quod idem est, ac lib. 7. Authenticae vero, quae Codicis inter libros reperiuntur, ita citantur: Authent. *Sicut haereditas*, C. de legitimis Tutoribus.

Ad calcem quatuor Juris partium reperiuntur aliquando varia Imperatorum Edicta, et Novellae Constit., itemque Feudorum Consuetudines, 5. libris comprehensae, leges 12. Tabularum, Fasti Consulares etc.

CAPUT XVI.

De qualitate Theologicarum Propositionum.

CUm non omnes Propositiones, quae Theologicae dicuntur, ad fidem pertineant, ut ex dictis jam liquido patet: ne quid ad efformanda, et dignoscenda Theologica judicia desit Tyronibus, seriem propositionum falsarum, et iis e regione adversantium, optime noscere operae pretium est: quare eas hoc ultimo cap. libenter adnotatas velim.

1. Igitur Propositio, quae Theologicae veritati opponitur, dicitur *Haeretica*: eaque est: *Quae formaliter opponitur veritati a Deo*
reve-

revelatae, *et per Ecclesiam definitae*, *seu cujus contradictoria est de fide*.

2. *Sapiens Haeresim*. Et est illa, cujus contradictoria non est quidem expresse definita; sed tamen sic communiter recipitur in Ecclesia, ac si esset de fide; ideoque praebet argumentum saltem probabile judicandi, quod in defensione illius lateat haeresis.

3. *Suspecta de Haeresi*. Illa est, quae in rigore grammatico vera esse potest: attamen ex quibusdam circumstantiis personae, loci, et temporis innuere videtur haeresim.

4. *Haeresi proxima*. Et illa est; quae est contradictoria illi, quae vel a plerisque habetur tamquam de fide, vel per evidentem consequentiam infertur ex una de fide, aut ex altera indubitata.

Schismatica. Et est illa, quae viam aperit divisioni a mystico Corpore Christi hoc est, quae retrahit fideles a suo Capite, seu Romano Pontifice.

Judaica, quae proprie illa dicitur, quae de Christo sentit cum Judaeis, asserens v. g. Christum, seu Messiam nondum advenisse, sed adhuc esse venturum.

Pagana, estque quae cum Paganis plures Deos admittit.

Athea, et est illa, quae cum Atheis Deum esse negat.

Blasphema, et est, quae contumeliosam injuriam, et irreverentiam continet contra Deum, vel Deiparam, vel Sanctos.

Impia, estque illa, qua verus cultus Deo

Deo, vel Deiparae, vel Sanctis debitus; evertitur, vel minuitur.

Erronea, et illa est, quae contradicit conclusioni Theologicae, sive deductae ex una de fide, et altera evidente.

Errori proxima, et illa dicitur, quae contradicit tali conclusioni, quae a plerisque, non tamen ab omnibus, habetur tamquam Theologica.

Sapiens errorem, vel suspecta erroris; estque illa, quae licet in rigore sermonis non contradicat alicui conclusioni Theologicae; ex circumstantiis tamen personae, loci, et temporis, gravem adjunctam habet erroris suspicionem.

Scandalosa, et est illa, quae immediate, et de se praebet aliis occasionem spiritualis ruinae circa doctrinam morum, et fidei.

Temeraria, et positive est illa, quae contra se firmissimas habet rationes, et gravissimorum Doctorum auctoritates, et pro se nullam firmam, et gravem. *Temeraria* vero negative illa, quae nec pro se, nec contra se ullam habet rationem, et auctoritatem.

Seditiosa, estque illa, quae inducit divisionem in populo, seu concitat tumultum contra Superiores in Ecclesia, vel Republica.

Male sonans, et illa habetur, quae abutitur vocibus contra communem sensum fidelium, et licet duos habeat sensus, unum fidei congruum, alterum alienum: saepe tamen ab audientibus sumitur in malam partem.

Piarum aurium offensiva, et illa est, quae ne-

nedum male sonat, sed aliquid insuper indignum, seu indecens in materia Religionis pronuntiat.

Laxa, et illa est quae multum favet conscientiae libertati, et in materia morum est nimis licentiosa.

Simplicium seductiva, estque illa, quae sub specie pietatis, vel boni praetextu errorem tegens, apta est simplicium mentes seducere.

Insana, fabulosa, et mendosa, et illa est, quae nec ratione, nec auctoritate constat, neque aliqua verisimilitudine nititur.

Apocrypha, et illa dicitur, cujus Auctor incognitus, aut incertus est, vel de qua non constat, quod sit Canonica, vel Divina.

Antiquata, estque illa, quae antiquitus admittebatur tamquam probabilis, quia nondum cognitum erat principium certum; sed jam licet non sit expresse damnata, communiter tamen rejicitur ut incompossibilis cum Ecclesiasticis Decretis.

Improbabilis, et illa est, quae nititur motivo fallibili, non gravi, sed simpliciter indigno, propter quod fiat assensus.

Ad harum variarum Propositionum naturam securius prospiciendam legat sedulus Lector P. Joan. Antonium de Panormo Ord. Min., qui in suo Opere *Scrutinium Doctrinarum* de qualificatione Propositionum erudite pertractat. Nos ad hujus libri complementum contenti sumus regulam unam, quae sequitur tradere.

RE-

REGULA GENERALIS.

In Judiciis Theologicis ad agnoscendam naturam, et qualitatem variarum Propositionum, attendendum maxime est, et omni quidem solertia, ad propinquitatem, vel distantiam, quam ipsae habent cum principiis per se notis, aut demonstratis. Quo enim propositio ad sua principia propius accedit; eo verior habenda est: quo vero e contra longius ab iisdem recedit; eo improbabilior, magisque falsa deprehenditur. Illae ergo propositiones, quae sponte sua, et immediate fluunt ex principiis revelatis, de fide certissime erunt. Quae autem non ita immediate ab iisdem nascuntur, sed tamen sunt veluti consecutio naturalis; et necessaria praemissarum, si non de fide, tamquam de fide, aut proximae fidei erunt adjudicandae; et sic de ceteris dicito pro majore, vel minore propinquitate ad sua principia. Illae vero propositiones, quae revelatis principiis directè, et immediate contradicunt, illico haereticales dignoscuntur; quae autem non ita directe, et immediate principiis ipsis opponuntur, sed tamen cum iisdem conciliari haud possunt: haeresi proximae, aut suspectae de haeresi erunt judicandae. Eo namque propositiones longius ire a principiis dicuntur, quo propius iisdem principiis contradicunt. Claritas autem illa, quae sic philosophando menti affulget, ratio dicitur intrinseca, cui pondus addit Doctorum auctoritas, quae ratio extrinseca nominatur.

LIBER TERTIUS

NOTITIA HISTORICO - CHRONOLOGICA CONCILIORUM ROMANORUM PONTIFICUM HAERESUM ATQUE HAERETICORUM.

CAPUT I.

De Conciliis Generalibus.

1. GEneralia Concilia ab exordio Ecclesiae Christi usque modo celebrata; decem et octo numerantur. Primum itaque fuit Nicaenum coactum ab an. 327. usque ad 330.; qui fuit an. 15. S. Sylvestri Papae; et 20. Constantini Imperatoris ipsi Concilio praesentis Osius Cordubensis in Hispania Ep., Vitus, et Vincentius Eccl. Romanae Presbyteri praefuerunt tamquam Papae Legati. Praecipua hujusmodi cogendi Concilium causa fuit haeresis Arii; in eo etiam damnati sunt Quartodecimani; et Meletiani per 318. Patres, hoc est Episcopos.

2. Generale Concilium habitum fuit Constantinopoli, quare Constantinopolitanum dictum, sub S. Damaso Papa, et Theodosio Imperatore; tribus mensibus absolutum fuit, nempe a mense Majo an. 384. usque ad finem Julii an. ejusdem. In eo damnati sunt Macedoniani Divinitatem Spiritus Sancti impugnantes, et iterum confirmata fides Nicaena

caena, editumque fuit Symbolum, quod inter Missarum solemnia canitur in Ecclesia, quodque vulgo Nicaenum appellatur, quia revera a Nicaeno non discrepat, nisi penes verba nonnulla, quae majoris explicationis gratia Nicaeno addita sunt. Ad illud convenere Episcopi ex diversis Provinciis 150., qui omnes fuerunt Orientales, eo quod Damasus an. eodem Romae coegerat Synodum Occidentalem Episcoporum, et illuc quoque eos, qui CP. convenerant, invitaverat; sed justis de causis Orientales Romam pergere non valentes, eorumque excusatione accepta a Pontifice: factum est, ut animis, atque sententiis duae illae Synodi ita conjunctae sint, ac si una, eademque prorsus fuisset, et ideo pro Oecumenica habita est in Ecclesia. Accedit, quod ea omnia, quae circa fidem definierant Patres Con. CP., approbata fuerunt an. sequenti in altero Concilio Romae celebrato: quare tres istae Synodi, ratione consensionis perfectae, pro uno eodemque Concilio habentur.

3. Est Ephesinum sub S. Caelestino I. Papa, et Theodosio Juniore an. 434. adversus Nestorium CP. Patriarcham, qui duas in Christo personas adstruebat. Adfuerunt circiter 200. Episcopi; ipsisque praefuit nomine Papae S. Cyrillus Alexand. Patriarcha cum Arcadio, et Projecto Ep., et Philippo Presbytero. Definitum ergo in eo fuit, unicam tantum esse in Christo personam, et B. V. Mariam esse vere Deiparam.

4.

4. Celebratum fuit Calcedone, unde Calcedonense, sub S. Leone I. Papa, et Marciano Imperatore, an. 454. adversus Haeresim Eutychetis Archimandritae, asserentis cum Dioscoro unam tantum esse in Christo post Incarnationem naturam. Ad hoc Concilium confluxerunt ex omnibus mundi regionibus Episcopi 630., eique praefuerunt nomine Papae Paschasius, et Lucentius Episcopi, et Bonifacius Presbyter. Quemadmodum ergo in Ephesino decretum fuerat contra Nestorium unam esse in Christo personam in duobus naturis; sic contra Eutychem in hoc sancitum est, duas esse in Christo in una persona naturas, divinam, et humanam, non quidem simul permixtas, sed realiter distinctas.

5. Generale Concilium fuit CP. secundum, Vigilio summo Pontifice, et Justiniano Seniore Imperante, ad an. 553., aut 556. Huic interfuerunt soli Episcopi Orientales, num. 165., sed quia postea a R. Pontifice, et ab Episcopis Occidentalibus receptum fuit, et approbatum, inter Oecumenica habetur. In eo praecipuè actum est de damnatione Librorum, et eodem modo se gessit Concilium, ac si de dogmate ipso definiendo actum fuisset. Libri itaque illi damnati, fuerunt Scripta Theodori Mopsuesteni, Opera Theodoreti contra S. Cyrillum, et Epistola Ibae ad Marium Persam; quae tria Scripta vocari solent *tria Capitula*, de quibus non semel mentionem fecimus Lib. 2. Damnatus quo-

quoque fuit in eo Origenes cum suis sectatoribus Dydimo, et Evagrio.

6. Fuit CP. tertium, coactum adversum Monothelitas unam tantummodo in Christo voluntatem asserentes, sub Agathone Papa, et Constantino Pogonato Imper. an. 681., vel circiter. Convenerunt in eo; juxta Theophanem, et Cedrenum 289. Episcopi, et secundum Photium tantum 170. In actis autem Synodi, Act ultim., reperiuntur subscripti tantum 166. Nec mirum, quia sub id tempus ob eamdem causam celebratum fuit Romae Concilium 125. Episcoporum, Praeside S. Agathone. Ab hoc missi sunt tres Legati nempe Theodorus, et Gregorius Presbyteri, et Joannes Diaconus, ad CP. Concilium: quare, saltem in causa fidei, haec duo Concilia tamquam unum spectari possunt, ac debent. In Concilio autem CP. cum Sergio, Pyrrho, aliisque paucis, nominatim damnatus est etiam Honorius Papa tamquam Monothelita. Quod factum multum torquet Theologos, et Historicos; alii putantes cum Baronio, et Bellarmino Acta hujus Concilii corrupta fuisse a Graecis nonnullis, et in iis fraude insertum nomen Honorii Papae: alii volentes ut Fleurius Witassius, Juveninus, Honorium fuisse damnatum ut haereticum *favore*, *et patrocinio*, non quidem *dogmate*. Ast revera Concilium CP. deceptum fuit errore facti.

7. Concilium Generale fuit Nicaenum II., primum indictum CP., sed justis de causis postea tran-

translatum Nicaeam an. 787., imperantibus in Oriente Constantino, et Irene matre, et Petri Sedem regente Adriano I. Papa; cui ipse praefuit per Legatos suos Petrum Archipresbyterum Eccl. Romanae, et Petrum Abbatem S. Sabae. Interfuerunt Episcopi 360., aut saltem 350. In hoc damnati sunt. Iconoclastae, ac definitum proinde, usum sacrarum Imaginum pium esse, et licitum, ideòque retinendum esse in Ecclesia. Septima hujusmodi Synodus impugnata fuit a Concilio Francofordiensi, cui interfuere plusquam 100. Episcopi Occidentales una cum Legatis Adriani Papae. Hoc factum Francofordiensis Concilii sic explicant Theologi: 1. quia nondum constabat in multis Provinciis Nicaenae Synodi secundae eocumenicitas: 2. quia Francofordienses errore facti, non juris putarunt, ex parum fideli Auctorum versione illius Concilii in linguam Latinam, Latriae cultum Deo soli debitum, sacris Imaginibus attributum fuisse a Nicaeno.

8. CP. quartum sub Adriano II. Papa, et Basilio Augusto imperante, an. 870. Huic praefuerunt nomine Papae Donatus, et Stephanus Episcopi, et Marinus Diaconus, et adfuerunt eidem 102. Episcopi. Hujus Concilii congregatio respiciebat causam Photii, qui a Sede CP. injustè expulso S. Ignatio, eamdem ipse occupaverat: quare a Concilio restitutus est Ignatius, et Photius depositus et excommunicatus fuit.

9. Est Lateranense I., hoc est Romae in Ec-

Ecclesia Lateranensi celebratum an. 1123., Praeside Calixto II. cum 300. Episcopis, et 600. Abbatibus. Coactum fuit pro tollenda discordia inter Sacerdotium, et Imperium, orta ex usurpatis a Principibus Beneficiorum Investituris, et pro sacro bello ineundo vel in Hispania, vel in Palaestina contra Saracenos. Tunc imperabat Henricus V.

10. Lateranense II. ad an. 1139. sub Innocentio II. Papa, unà cum Episcopis circiter 1000., Lothario Imperante. In eo damnatum fuit schisma Petri Leonis, proscripti errores Petrobrusianorum, et Arnaldistarum, ac tandem Cleri disciplina in meliorem formam restituta.

11. Lateranense III. Episcoporum 302., pro Ecclesiae reformatione coactum an. 1180., nempè ad reformandos mores simonia, usura, aliisque vitiis depravatos, ad media quaerenda pro tollendo deinceps schismate, ac tandem contra errores Valdensium, et Albigensium, qui in eo damnati fuerunt, Praesidente Alexandro III., et Imperante Friderico I.

12. Lateranense IV. sub Innocentio III. Praeside cum Episcopis 412., et Friderico II. Imper. ad an. 1215. Celebratum fuit pro damnandis erroribus Joachimi Ab., Almarici, et Albigensium: item pro recuperanda Terra sancta, et disciplina Ecclesiae restauranda. Ex eo prodiit celeberrimus ille Canon: *Omnis utriusque sexus.*

13. Est Lugdunense I. ad an. 1245., regnan-

gnante in Gallia S. Ludovico, et Praeside Innocentio IV., cum interventu 140. Episcoporum. Coactum est contra Fridericum II. Imper., ac pro decernenda in Turcas expeditione, et Cleri, populique pravis moribus reformandis.

14. Est Lugdunense II. an. 1274. sub Gregorio X., ad quod convenerunt Patres fere 1000., quos inter Episcopi 500. Ad hoc Concilium vocatus S. Thomas Aquinas, in Monasterio Fossae Novae obiit in itinere, et in ipso decessit quoque S. D. Bonaventura. Convocatum fuit ad unionem Graecorum cum Ecclesia Catholico-Romana, ad correctionem morum; ac item ad celeriorem, quam antea, Papae electionem faciendam, Sede vacante.

15. Generale Concilium celebratum fuit Viennae in Gallia an. 1311. pro variis Haeresibus damnandis, nempè Fraticellorum, Dulcinistarum, et Beguardorum, ac pro extinctione Ordinis Militaris Templariorum. Clemente V. Pontifice, et Praeside, et Henrico VII. Imperante, praesentibus Episcopis 300., ac pluribus Regibus, scilicet, Eduardo II. Angliae, Jacobo II. Aragoniae, et Philippo Pulchro Galliae Rege, cum tribus filiis, qui postea successivè regnarunt.

16. Est Florentinum ad an. 1438., adstante Eugenio IV. cum Episcopis 141., et praesentibus Joanne Paleologo Imperatore, Patriarcha Cp., et Legatis Alexandrini, Antiocheni, et Jerosolymitani Patriarcharum. Hoc Concilium incaeptum fuerat Ferrariae ineun-

ineunte an. 1438., ubi habitae sunt Sessiones 16., quarum primae praefuit Card. Albergatus ex Ord. Cartusiano Legatus a latere; ceteris ipse Eugenius. Sess. 17. caepit Florentiae in Ecclesia Majori die 26. Febr. an. 1439. In hoc perfecta est Unio utriusque Ecclesiae Graecae et Latinae, et promulgata est Definitio Fidei, quae vulgò dicitur *Decretum Unionis*, in quo sancitum est: 1. Spiritum Sanctum a Patre et Filio unica utriusque spiratione procedere; idcircò vocem illam *Filioque* consultò symbolo additam fuisse. 2. Christi Corpus tàm in fermento, quàm in azimo validè consecrari. 3. Existere Purgatorium, in quo fidelium animae in gratia decedentes, sed non plenè purgatae, temporales poenas pro culparum reatibus luunt, ibique viventium fidelium posse suffragiis adjuvari; eas vero, quae nullis maculis faedatae sunt, sed prorsus mundae ab omni labe statim ad claram Dei visionem adsumi. 4. Rom. Pontificem esse verum Christi Vicarium, B. Petri Successorem, Caput totius Ecclesiae, Patrem, et Doctorem omnium Ecclesiarum, cui in B. Petro data est a Christo plena potestas pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam, sicuti jam in gestis etiam Oecumenicorum Conciliorum, sacrisque Canonibus continetur.

Post Graecorum discessum remanserunt Florentiae cum Eugenio Cardinales, et Episcopi nonnulli cum Theologis verè doctis, a quibus Apocrisarii Patriarchae Armeniorum in-

instructi sunt, et in sinum Ecclesiae Catholicae recepti a Papa Eugenio. Quae cum ipsis de hac sancta unione saepe contulerat, et egerat cum parvo Concilio Eugenius, compendiose citantur in Scholis sub nomine *Decreti Eugenii ad Armenos*. Florentia autem digressis Armenis, advenerunt item Jacobini, et Jacobitae an. 1441., quos plenius instructos Eugenius ad Rom. fidei unionem recepit. Anno tandem 1442. Concilio jam Romam translato, eo advenere Legati Aethiopum, seu Abissinorum Regis unionem cum Ecclesia Romana suppliciter rogaturi. Fausta quidem multa sub id temporis evenerunt pro Catholica fide: quae tamen, proh dolor! non longae fuerunt durationis, Graecorum duritie, atque superbia.

17. Fuit Lateranense V., celebratum an. 1512. Primis quatuor Sessionibus praefuit Julius II. Papa; quintae, ipso Julio lethaliter aegrotante, Raphael Cardinalis Ostiensis; septem ceteris Leo X. recens electus, Julio jam vita functo. Huic interfuerunt Episcopi 114., Cardinales 18., Patriarchae Alexandrinus, et Antiochenus, non quidem Orientales, sed Titulares, cum Aquileensi. Coactum fuit ad schisma extinguendum, instaurandam disciplinam, concordiam Principum procurandam, et ad suscipiendam in Turcas expeditionem. Ab hac Synodo reprobata sunt Pisani Conventus Acta, et Pragmatica Sanctio, quae per id temporis in Concordatorum Tabulas, multis immutatis,

translata est. Nonnulli Cardinales, qui Pisano Conventui interfuerant, veniam petentes, restituti sunt. Vetitum in ea fuit, ne in Philosophicis Scholis de mundi aeternitate, de mortalitate, et unitate animae contraria fidei Christianae dogmata traderentur.

18. Concilium Oecumenicum est Tridentinum, indictum, et caeptum sub Paulo III. an. 1545., continuatum sub Julio III. an. 1551., diu interruptum, ac tandem finitum sub Pio IV. an. 1563., Imperat. Carolo V., et Ferdinando. Huic adfuerunt 6. Cardinales, 4. Legati, 3. Patriarchae, Archiepiscopi 30., Episcopi 228., 7. Ordinum ministri Generales, et 5. Abbates, praeter Episcoporum Procuratores, atque Theologos exercitatissimos. Coactum fuit adversus haereses Lutheranorum, et Calvinistarum, qui in eo damnati sunt, et insuper editi 127. Canones.

Hoc Concilium, quod meritò dici potest Concilium Conciliorum, magno est in pretio apud Catholicos; sed valdè displicuit Haereticis, et Haereticorum amicis, in primis turbido illi viro Fratri Paulo Sarpi, qui Historiam Concilii Trid. mendaciis, calumniis, conviciis refertam jamdudum composuit, quam ex professò solidè confutavit Card. Pallavicinus ex Actis Concilii in Biblioth. Vaticana servatis, eidem communicatis jussu Alex. VII. Sarpi mendacia, et convicia renovavit, et nova antiquis addidit Franciscus le Courayer Gallus, qui ex Canonico Regulari A-

po-

postata factus, Doctor Oxfordiensis factus est in Anglia.

CAPUT II.

De Conciliis, quae non ab omnibus omnino approbantur.

INter Concilia, quae non adeò certam fidem faciunt, ut dubium omne repellant: an legitima fuerint, et si legitima ab initio, an talia etiam fuerint in progressu, in fine, in acceptatione? quinque praesertim numerantur: 1. Sardicense. 2. Quinisexum, seu Trullanum. 3. Pisanum. 4. Constantiense. 5. Basileense.

1. Sardicense itaque (Sardica) indictum fuit a Julio Papa I. an. 347., cui praefuit per Legatos suos. Ad illud convenerunt Episcopi 370., partim Occidentales, partim Orientales: hi autem ab Occidentalibus segregaverunt se, et Philippopoli in Thracia Conciliabulum habuerunt. Interea Occidentales S. Athanasii innocentiam jam vindicatam declararunt, fidemque Nicaenam confirmarunt; ac tandem Canones 20., aut 21. condiderunt, jusque appellandi ad R. Pontificem confirmarunt. Qui Canones cum tempore RR. PP. Zosimi, et Bonifacii pro Nicaenis habiti sint in Ecclesia Romana; hoc factum locum dedit controversae in Ecclesia Affricana circa numerum Nicaenorum Canonum. Erroris hujus, seu confusionis occasio fuit, et quia in eo confirmata sit Nicaena fides, et quia ple-

plerique Nicaenorum Patrum Sardicensi adfuerunt, ipsemet S. Athanasius, et Osius Cordubensis Episcopus: quare hoc Concilium veluti quaedam Nicaeni Appendix in veteribus Codicibus cum suis Canonibus conjungitur. Cum autem Episcopi illi, qui Sardica recesserant, Arianam formulam sub nomine Concilii Sardicensis concinnassent: nata hinc est confusio utriusque Conventus in unum, adeout a S. Augustino, aliisque Patribus non prorsus approbatum fuerit Sardicense Concilium.

2. Constantinopolitanum, Trullanum dictum, eo quia in Secretario Palatii habitum sit, quod ob fastigium concameratum Trulli, seu Trullae nomine appellabatur. Dicitur Quinisexta Synodus quatenus quintae ex sextae velut Appendix coacta sit eo praetextu, quod quinta et sexta Synodi Oecumenicae nullos edidissent Canones de disciplina. Juxta Bellarminum, et Natalem Alex., indicta fuit ab Imper. Justiniano Juniore an. 688. In ea editi sunt Canones 102. rejecti tamen a Sergio, aliisque RR. Pontificibus, nec non a Patriarchis Orientalibus uno excepto CP., teste Anastasio Bibliothecario, eo quod non pauca cum moribus pugnantia Occidentalis Ecclesiae ipsi enunciarent. Adfuerunt Episcopi plusquam 200.

3. Pisanum indictum fuit an. 1409. a Cardinalibus obedientiae Gregorii XII., et Benedicti XIII., qui de Papatu contendebant, ut schisma tolleretur. Utroque Pontifice

tifice post citationem exauctorato, electus est ab utriusque partis Cardinalibus Alexander V., qui si illegitimus fuisset, equidem Alexander VI., non sextum, sed quintum se dicere debuerat. Praeter Cardinales adfuerunt etiam Episcopi supra 300. Hoc Concilium tamquam illegitimum reprobat S. Antoninus; sed illud defendit Nat. Alexander.

4. Constantiense, indictum primùm a Joanne XXIII. an. 1413., ac deindè successivè a Gregorio XII., et a Benedicto XIII. Celebrari coepit an. 1414. die 16. Novembris, et finem accepit 22. Aprilis 1418. Depositis tribus illis Pontificibus, electus fuit Martinus V. Sess. 41. 11. Novembris an. 1417., qui reliquis Sessionibus praefuit usque ad 45. In hoc Concilio damnati sunt *in globo* 45. Articuli Joannis Wicleffi jam antea defuncti, et 30. Articuli Joannis Hus, qui propter suam pertinaciam brachio saecularis potestatis vivus exustus est, itemque Hieronymus de Praga propter relapsum in haeresim paulo ante ejuratam. Haec omnia, et similia, quae legitimo Conciliorum more constituta fuerunt, recepit, et approbavit Martinus V. Ast Decretum in prioribus Sess. sancitum de immediata a Christo auctoritate Generalis Concilii, cui etiam Pontifices parere teneantur; quemadmodum et Decretum de celebrando Generali Concilio per singula decemnia, numquam rata habuerunt RR. Pontifices. Illud tantùm ad casum Schismatis, et dubios Pontifices contrahunt communiter Theologi cum Turrecremata.

5. Basileense, indictione quidem, seu convocatione Oecumenicum, exitu vero schismaticum. Verum quousque ejus duraverit oecumenicitas, magna est inter Theologos controversia. Nonnulli 16. tantùm primas Sessiones recipiunt, ceteras rejiciunt; alii illud legitimum faciunt usque ad 25., alii etiam inter Gallos, ab ipso exordio totum illegitimum arbitrantur, ex quo scilicet, inquit Cabassutius (in sua Notitia Ecclesiastica), supra R. Pontificem auctoritatem sibi arrogavit indebitam. Nostrum non est hujusmodi lites componere; brevem tantummodo Basileensis Concilii teximus historiam.

Indictum itaque fuit a Martino V. an. 1430. ad comprimendas Bohemorum seditiones, et haereses, et ad mores fidelium reformandos. Initium habuit die 14. Decembris 1431.; e vivis interim sublato Martino, Eugenius IV. ejus successor indictionem confirmavit, et Concilio nomine Papae praefuit Julianus Card. Legatus Apostolicus. Post primam Sessionem Eugenius multis de causis Concilium transtulit Bononiam; primò quidem quia pauci admodum Episcopi convenerant Basileam; secundò quia propter bellum jam excitatum inter Duces Austriae et Burgundiae, Urbs Basileensis minus tuta, et quieta videbatur; tertiò quia Graeci, quorum unio cum Ecclesia Latina enixè optabatur, locum putabant commodiorem, et oris maritimis viciniorem; quartò tandem quia Patres Basileenses jus sibi indebitum supra le-

gitimum Papam usurpare volebant. Huic translationi obstitit Concilium Basileense, et ibi manens usque ad 16. Sessionem, Eugenii depositionem meditati sunt Patres. Inter haec dissidia Eugenius pro bono pacis revocat Concilii dissolutionem; et Sess. 17. vices suas committit Juliano Card; qui cum aliis quatuor Concilio praesideat, certis Legibus praescriptis, et conditionibus, quibus tamen obedire noluerunt Basileenses. Hinc recrudescunt bella; quare Eugenius Concilium dissolvit, quod tamen eò insaniae devenit, ut fugatis Legatis, et post varias citationes, Eugenio deposito a Papatu, iterum Schisma illud crearunt, quod tanto labore extinctum fuerat in Constantiensi, in Papam eligendo, et coronando Amadaeum a Sabaudia, sub nomine Felicis V., Antipapae 38., uno tantum Cardinali Arelatensi agente, cum perpaucis Episcopis. Quod factum et Principibus displicuit, et totum scandalizavit orbem. Quid post haec egerit Eugenius, habes in historia Concilii Florentini, de quo supra egimus. Decreta autem seu Canones Concilii Basileensis numerantur 33., sess. 45., in quibus suffragiorum, non per singulos Episcopos, sed per Nationes habita ratio est. Hinc merito reprobatum in Con. Lateranensi ultimo a Nicolao V. et tantum nonnulla approbata circa Beneficia Ecclesiastica.

Quinque jam recensitis Conciliis, partim receptis, partim reprobatis, addenda quoque sunt Syrmiense, et Francofordiense

Con-

Concilia, quoniam et istorum nonnulla probata fuerunt. Primum habitum fuit an. 356. sub Liberio Pontifice, et Constantino Imperatore. In eo duae fidei formulae inter se pugnantes editae sunt, Graeca una, eaque Catholica, Latina altera, eaque Ethérodoxa; item in eo damnata est haeresis Photii, in quam omnes Ecclesiae consenserunt. Secundum celebratum fuit an. 794., Adriano I. Pontifice, et Carolo M. Rege Francorum. Confirmatum fuit ab Adriano hoc Concilium quoad eam partem, in qua decernitur, Christum non esse Filium Dei adoptivum; reprobatum quoad alteram, in qua ex errore facti damnatur septima Synodus.

Cetera vero Concilia, quae sub nomine *Generalis* circumferuntur, inter omnino reprobata accensentur. Hujus generis sunt 1. Antiochenum an. 345. in quo damnatus fuit S. Athanasius. 2. Mediolanense an. 354. in quo saltem indirecte fides Catholica damnata est. 3. Ariminense Episcoporum 60. an. 363., in quo sublatum est de symbolo nomen *Omousios*. 4 Ephesinum II. an. 449., in quo Dioscori factione necatus est crudeliter S. Flavianus Patriarcha CP., Legati Pontificii fugati, et haeresis Euthychiana tandem confirmata. 5. et 6. duo Constantinopolitana, unum sub Leone Isaurico an. 730. contra sacras Imagines; alterum sub Constantino Copronico an. 755., in quo abolitus est Cultus sacrarum Imaginum.

De Conciliis inter veteres egerunt Gratia-

tianus, Burchardus, Martinus Bracharensis, Beda, aliique. Inter recentiores Thomas Valdensis, Joannes de Turrecremata, Dionysius Cartusianus, Joannes Eckius, Albertus Pighius, Alphonsus a Castro, Guilielmus Liridanus, ceterique Classici Theologi nostrorum temporum. Marcus autem Battaglini brevem historiam texuit Conciliorum; ac tandem Labbaeus in summum Opus omnia Concilia redegit.

CAPUT III.

De Conciliis Particularibus.

QUando Concilia non convocantur jussu R. Pontificis, neque ad illud undique ex toto Orbe Christiano conveniunt Episcopi, tunc nomen sortiuntur Conciliorum Particularium; haec autem sunt aut Nationalia, aut Provincialia, aut Dioecesana. Nationale est Concilium, quando ad illud conveniunt Archiepiscopi, et Episcopi unius Regni, sive Nationis: in his praeest aliquis Patriarcha, vel Primas, si adest. Provinciale, quando ad illud vocantur solummodò Episcopi unius Provinciae; praesidet in his Archiepiscopus, vel Metropolitanus. Plurima admodum sunt Concilia tàm Nationalia, quàm Provincialia, quae ab initio Ecclesiae usque nunc celebrata sunt ubique terrarum; quae omnia si hic conscribere vellemus, in excessum excresceret Apparatus noster. Consulat Le-

Lector historiam Conciliorum. Dioecesanum postremò illud dicitur, in quo conveniunt Presbyteri, saltem digniores unius Episcopatus; eisque praesidet Episcopus ipse. Haec autem vix possunt appellari Concilia, cum praeter Episcopum nullus sit alius, qui Jurisdictione gaudeat. Et haec sunt, quae dicuntur Synodi Dioecesanae.

Concilia Nationalia quandoque appellantur Concilia Generalia, ut in Toletano III. Cap. 18., et alibi; quod est intelligendum non absolutè, sed relatè ad illud Regnum, seu Nationem. Nationale ad illam Nationem, Provinciale ad illam Provinciam pertinet, in qua, et pro qua celebrantur; non autem ad universos Christifideles, ni forte ab universa Ecclesia recipiantur, et approbentur: tunc quidem in universum gaudent auctoritate.

Utcumque recepta, et approbata Concilia haberi debeant ab omnibus tamquam fidei, et regula morum: ea tamen non multum faciunt communiter Haeretici. Graeci namque tantum recipiunt priora septem, ut patet ex Sess. 5. et 6. Concilii Florentini. Lutherani sex prima; Euthychiani adhuc in Asia degentes tria priora; Nestoriani, qui superstites sunt in Oriente, duo priora; Trinitarii tandem, qui in Hungaria, et Polonia degunt, nullum omnino recipiunt.

CA-

CAPUT IV.

Cathalogus RR. Pontificum secundum ordinem Alphabeticum digestus.

A.

ADeodatus Romanus, Papa 78. c. 22. Aprilis an. 672., m. 26. Junii 676.

Adrianus I. Romanus, Papa 97. c. 9. Februarii an. 772., m. 25. Decembris 795. Vir fuit ingenio, zelo, et charitate plenus. Misit Legatos suos ad Concilium Nicaenum II., vindicavit VII. Synodum, et a vexationibus Desiderii Reg. Longobardorum liberatur per Carolum Magnum. Multae extant hujus Pontif. Epistolae; sed percelebris est ejus responsio ad Librum a Carolo M. eidem exhibitum post Francfordiense Concilium.

Adrianus II. Romanus, Papa 108. C. 14. Decemb. an. 867., m. circa finem Novemb. 872. Bis Pontificatum recusaverat, illudque tandem adsumpsit, cum esset ag. 76. Hic Concilium habuit Romae contra Photium, duosque Legatos misit ad Concilium CP., in quo Photius depositus fuit, et Ignatius restitutus. Extant hujus Pontificis Epistolae multae.

Adrianus III. Romanus, Papa 111., C. circa finem Maii an. 884., m. in fine, aut sub initio Augusti an. sequentis. Enixè rogatus a Basilio Macedone Graecorum Imper., ut irrita haberet, quae fuerant facta contra Photium, et ipsum ad communionem reciperet, acquiescere noluit.

Adria-

Adrianus IV. Anglus, professione Canonicus Regul., et Abbas S. Rufi in Gallia, ac deinde Cardinalis, et Ep. Albanensis, Papa 171., C. 3. Decemb. an. 1154., m. 1. Septemb. 1159. Vocabatur prius Nicolaus Brenкspeare. Magnas hic habuit contentiones cum Romanis propter Haereticum Arnaldum de Brixia; itemque cum Guilielmo Rege Siciliae, qui bona Ecclesiae usurpaverat; ac tandem cum Friderico 1. Imperatore dissidia, litesque sustinuit.

Adrianus V. Genuensis, Papa 188. C. 10. Julii 1276., sed non consecratus, quia 18. Augusti ejusdem anni vitam simul, et Papatum amisit.

Adrianus VI. Ultrajectinus, Papa 222., C. 9. Januarii 1522., m. 14. Septemb. 1523. Vocabatur antea *Adrianus Florent.* Dum esset Pontifex typis mandavit Quaestiones quodlibeticas, et Commentarium in 4. Lib. Sententiarum, quae Opera conscripserat, dum Lovanii Theologiam doceret. Dicere solitus erat, *quod majus infortunium sibi accidere non poterat, quàm illud imperare.*

S. Agapetus Romanus, Papa 132. C. mense Junio 946. m. circa finem Augusti 956. Summa constantia restitit Imper. Justiniano 1., qui volebat, ipsum Pontificem communionem habere cum Antimo Patr. CP. Eutychiano: eapropter Antimus depositus fuit.

S. Agatho Siculus professione Benedictinus Papa 80., c. 27. Junii 678. m. 10. Ja-

Januarii 682. Praefuit per Legatos suos Concilio VI. Generali an. 680. Hic est, qui cessare fecit tributum, quod Romana Sedes Imperatori solvebat in cujuscumque Papae nova electione.

S. Alexander I. Romanus, Papa VII., r. ab an. 111. usque ad 3. Maji 119. Epistolae, quae sub ejus nomine olim vulgabantur, suas non esse, compertum nunc est apud eruditos.

Alexander II. Mediolanensis, Papa 158. r. a mense Octobri 1061. ad 21. Aprilis 1073.

Alexander III. Senensis, Papa 112. c. 7. Septemb. 1159., m. 30. Augusti 1181. Praefuit Concilio XI. Generali an 1179. In Cathalogum Sanctorum retulit S. Thomam Cantuariensem, et S. Bernardum. Vocabatur prius Rollandus Bandinelli. Cum Imper. Friderico Barbarossa multas sustinuit contentiones, cujus etiam favore sub Alexandri Papatu tres Antipapae successive creati sunt, nempe Victor IV., Paschalis III., Callixtus III. Tandem Venetiis cum Friderico reconciliatus, Callixtus Papatu cessit, et schisma detestatus est. Alexander multa privilegia concessit Dogi Venetiarum, et Auctor fuit ritus illius, quo Veneti quotannis in die Ascensionis Domini mare desponsant. Hic postremo fuit, qui Romanae Sedi jus reservavit Sanctos canonizandi.

Alexander IV. De Comitibus de Segnis, nepos Gregorii IX., et Innocentii III., Anagninus, Papa 183., c. 12. Decemb. 1254. m.

m. 25. Maii 1262. Restitit fortiter Manfrido Friderici Imperat. filio, et Siciliae Regnum transtulit ad Edmundum fil. Anglorum Regis. Dispensationes dedit, et privilegia contulit ultra liberalitatem.

Alexander V. Cretensis, Profess. Franciscanus, Papa 208., c. 26. Junii 1409., m. 4. Maji 1410. Vocabatur prius Petrus Philargus. An iste legitimus fuerit Papa, variant Scriptores. Ceterum Concilium Constantiense, et RR. Pontifices sequiores, Alexandrum V. eum vocant, et Martinus V., ejusque Successores auctoritatem fecere Actis, et Constitutionibus Alexandri, quae utiles videbantur Ecclesiae.

Alexander VI. Hispanus e Regno Valentiae, Papa 218. c. 11. Augusti 1492., m. 18. Augusti 1503. De hoc Pontifice quoniam nihil boni dici potest, silendum puto.

Alexander VII. Senensis ex familia Ghigi, Papa 241., c. 7. Aprilis 1655. m. 22. Maji 1667.

Hic Pontifex 15. Februarii an. 1665. solemni Constitutione, ubique, ac praesertim in Gallia, recepta, praescripsit subscriptionem formulae, qua damnantur quinque Jansenii Propositiones in sensu Auctoris, postquam approbasset Bullam Innocentii X. de hac ipsa re editam. Retulit in Cathalogum SS. B. Franciscum Salesium. Extat hujus liber Poeseos.

Alexander VIII. Venetus ex nobili familia Ottoboni, Papa 245., c. 6. Octob. 1689.

1689.; m. 1. Febr. 1691. Vocabatur prius Petrus. Damnavit Propositiones 31.

S. Anacletus Atheniensis, Papa 5. ab an. 100. usq. ad an. 102.

S. Anastasius I. Romanus, Papa 40., C. 5. Decemb. 398., m. 14. Decemb. 401. Hic reconciliavit Orientales cum Ecclesia Romana. Opera Origenis proscripsit, et Rufinum, qui ex iis nonnulla transtulerat in linguam Latinam, ad se citavit, et in judicio se sistere recusantem, damnavit.

S. Anastasius II. Romanus, Papa 51. a 24. Novemb. 496. ad 17. Novemb. 498. Sub hoc Pontifice ab Idolorum cultu, et superstitione conversus est ad Catholicam Fidem Clodoveus Rex Galliae, quem ad Baptismum recepit S. Remigius Ep Rhemensis.

Anastasius III., Papa 134. C. an. 914., duobus annis sapienter rexit Ecclesiam.

Anastasius IV. Romanus, Papa 181. regnavit a 19. Julii 1153. ad 2. Decemb. 1154.

S. Anicetus Syrus, Papa 12. a mense Julio 157. ad 17. Aprilis 168. Hujus Pontificis tempore agitata fuit quammaximè quaestio, de die, qua celebrari debuerat Pascha; quare et S. Polycarpum consuluit, cum quo, licet diversae opinionis, pacem tamen servavit.

S. Anter Graecus, Papa 20. a 21. Novemb. 235. ad 3 Januarii an. sequentis.

B.

Benedictus I. Romanus, Papa 63., C. 3. Junii 574., m. 30 Julii 578.

Benedictus II. Romanus, Papa 82. a 26. Junii ad 7. Maii an. sequentis. Fuit hic vir doctus, et pius, ac Sacrarum Scripturarum studio maximè deditus.

Benedictus III. Rom., Papa 106. C. 29. Septemb. 855., m. 8 Aprilis 858. Restitit plurimum, ne Papatum acciperet, quia comes erat, humilis, devotus. Indigna patienter sustinuit ab Antipapa Anastasio.

Benedictus IV. Rom., Papa 119 a mense Augusto 900. ad mensem Octob. 903. Erga pauperes fuit beneficus, et sapienter rexit Ecclesiam.

Benedictus V. Rom., Papa 134. ab exeunte Majo 964. ad Junium an. sequentis. Creatus est tempore Schismatis Antipapae Leonis VIII., quando Octo Imperator Romam expugnavit, et Benedictum adduxit Amburgum, ubi brevi vitam finivit.

Benedictus VI. Rom., Papa 136. a 20. Decemb. 972. ad 974. Opera Card. Bonifacii, ut ipse Petri Sedem violenter occuparet, carceri mancipatus est a Francone quodam impio homine, ibique crudeliter necatus.

Benedictus VII. Rom., Papa 138. ab exeunte an. 974. ad 10. Julii 984. Boni Pastoris partes explevit.

Benedictus VIII. Rom., ex Comitibus Tusculanis, Papa 148., a 7. Junii 1012. ad

10.

10. Julii 1024., ut multi conjiciunt. Enrici II. Imperatoris brachium imploravit adversum Antipapam Gregorium; fugavit ex Italia Saracenos, et bellum gessit in Apulia contra Graecos.

Benedictus IX. Rom., Papa 150., ab 1033. ad 1044. Defectu praematurae aetatis (electus enim fuit Pontifex an. 18. aet. suae), et nimia ad malum inclinatione, turpiter in vitiis devolutus est, et scandala oriri fecit, et schismata; quare a Romanis Sede pulsus est an. 1043., sed favore Comitum suorum iterum restitutus.

(Benedictus X., Episcopus Veliternus, armata manu a seditiosis nonnullis intrusus, an. 1058., sed per 10. menses electus Nicolaus II., eidem se submisit, et paulò post vita functus est.)

B. Benedictus XI. Tarvisinus sub ditione Venetorum, ex Ord. S. Dominici, Papa 196., C. 22. Octob. 1303., m. 7. Julii 1324. Statim a sua electione irritas fecit Bullas Bonifacii VIII. contra Philippum Pulchrum, et damnationem substulit Columnensium. Hic est, qui vivere noluit matrem suam pretiosis vestibus cultam, sed eam gratulanti animo excepit coram tota Curia detritis suis vestibus amictam. Sapienter rexit Ecclesiam; attamen Perusii veneno necatus est.

Benedictus XII. Gallus ex Fuxensi Comitatu (du Comtè de Foix) ex Ord. Cisterciensi, Papa 199. a 20. Decemb. 1334. ad 25. Aprilis 1342. Vocabatur antea Jaco-

bus Furnarus. Hic damnavit Fraticellos. In collatione Beneficiorum aequissimus fuit, semper digniores indignis praeferens, saepè repetens illa verba Davidis: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.*

Benedictus XIII. Rom. ex nobilissima Ursinorum Familia, Professione Dominicanus, Papa 249., C. 29. Maii 1724., m. 21. Februarii 1730. Fuit vir eximiae pietatis ac devotionis, pro reformatione morum, et observantia Ecclesiasticae Disciplinae zelotes. Multa scripta reliquit unctione plena, et pietate. Habuit Romae Concilium an. 1725. in quo confirmavit Bullam *Unigenitus*; tandem moriens, bonum reliquit post se sanctitatis odorem.

Benedictus XIV. Bononiensis de Lambertinis, Papa 251., C. 17. Augusti 1740., m. 26. Junii 1757 Multa fecit, multaque scripsit hic Pontifex vere doctus; quae hic recensere supervacaneum est, cum ejus Opera in omnium oculis vulgata sint.

S. Bonifacius I. Romanus, Papa 43., a die 29. Decemb. 418. ad 4. Septembris 422. Huic S. Pontifici S. Augustinus dedicavit 4. suos Libros adversus Epistolas Pelagianorum.

Bonifacius II. Rom., Papa 56., C. 22. Septemb. 530., m. 17. Decemb. 531.

Bonifacius III. Rom., Papa 67. a 19. Februarii 607. ad 10. Novemb. ejusdem anni. Hic ab Imperatore Phoca impetravit, ut nulli Episcoporum attribueretur nomen Episco-

scopi Universalis, praeter Rom. Pontificem. In quadam Synodo, quam habuit, morem damnavit illorum Episcoporum, qui ante mortem Successorem nominabant.

Bonifacius IV. Italus Marsus, Papa 68., C. 25. Augusti 608., m. 7. Maii 615. A Phoca Imper. obtinuit celebre Templum Idolorum *Pantheon* ab Agrippa constructum, quod in sacram Ecclesiam convertit. Dicitur hodie *S. Maria de Rotunda*.

Bonifacius V. Campanus, Papa 70. a 23. Decemb. 619. ad 22. Octob. 625.

Bonifacius VI., Papa 114. an. 896. 15. Decemb. Post dies 15. e Sede ejectus est, quia, juxta Baronium, ejus electio illegitima fuit.

Bonifacius VII., cognominatus Franco, dictus a nonnullis Papa 140. an. 985. Sed merito quidem dubitatur, an hic fuerit legitimus Pontifex; quoniam vir hic ambitione, et crudelitate plenus post mortem illatam Benedicto VI. an. 974., fugit CP., secum auferens Ecclesiae Rom. thesauros: inde reversus, mortem machinatus est Joanni XIV. Benedicti successori, quem tandem fame, aut, secundum alios, veneno necatum 985., Apostolicam Sedem invasit: quam tamen diu non tenuit; nam post paucos menses moritur, et pedibus post mortem ignominiose tractus est.

Bonifacius VIII. Anagninus, Papa 195., C. 24. Decemb. 1294., m. 11. Octob. 1303. vocabatur prius Cajetanus. Inter hunc Ponti-

tificem et Philippum Pulchrum acres, ac diuturnae fuerunt lites; quem tandem Rex Gallorum Anagninis fecit eum mancipari per Sciarram Columnam, et Nogharetum; sed post dies quatuor populus ipse e carceribus eum traxit; quod factum tantae fuit Pontifici causa afflictionis, ut paulo post moreretur. Hic retulit in Sanctorum album Ludovicum IX. Galliae Regem; et Jubilaeum instituit de 100. in 100. annos.

Bonifacius IX. Neapolitanus, cui antea nomen Petrus Tommacellus, Papa 205. a 2. Novemb. 1389. ad 1. Octobris 1404. Ut jurgiis, et bellis finem imponeret, in Regem Neapolitanorum coronavit Ladislaum Lancellottum, cognomento *Magnanimus*, propter bella quae postea gessit.

S. Cajus Dalmata, Papa 29. a 15. Decemb. 283. ad 21. Aprilis 290.

S. Calixtus I. Rom., Papa 17. ab ineunte an. 219. ad 14. Octobris 223. Hic aedificavit Caemeterium Sanctorum in via Appia, quod a suo nomine Calixti dicitur.

Calixtus II. Gallus Burgundus, Papa 164., C. 1. Februarii 1119., m. 13. Decemb. 1124. Praefuit C. Generali IX., Lateranensi I. Carceri reclusit Antipapam Gregorium; et in omnibus utiliter, ac sapienter se gessit.

Calixtus III. Hispanus, Papa 213., a die 20. Aprilis 1455. ad 6. Augusti 1458. Scientia, ac virtute digne tenuit Sedem Petri.

S.

S. Celestinus I. Rom., Papa 44., a die 10. Septemb. 422. ad finem Julii 430. Praefuit per Legatos C. Ephesino Generali III., et per se ipse praefuit Romano an. 430. Multae extant hujus Pontificis utiles Epistolae, in quarum una approbat doctrinam Augustini circa gratiam.

Celestinus II. Tuscus, Papa 167., C. 26. Septemb. 1143. ad 9. Martii an. sequentis.

Celestinus III. Rom., Papa 177., C. 30. Martii 1191., m. 8. Januarii 1198. Extant hujus 17. Epistolae.

Celestinus IV. Mediolanensis, Papa 181. ab 1241., aut sequenti. Sedit tantum 17. dies.

S. Celestinus V. Italus Isernius, Papa 194. a 5 Julii 1294. Post 5. autem menses desiderio solitudinis Papatum sponte abdicavit. Hic est Auctor Monachorum Celestinorum, quorum Institutum approbatum fuit in Con. Generali Lugdunensi an. 1273. Extant S. Celestini Opuscula varia.

Christophorus Rom., Papa 121. an. 903., hic vir nequam post 6. menses carceri traditus in compedibus, crimen, quod Sedis Apostolicae. invasione commiserat, poenitentia expiavit.

S. Clemens I. Rom., S. Pauli adjutor, Papa 4. ab an. 91. ad 23. Novemb. 100. Martyr occubuit in exilio. De hujus scriptis locuti sumus in Cathalogo Ecclesiast. Scriptorum.

Clemens II. Germanus, Papa 152. ab an. 1046. ad 9. Octobris 1047.

Clemens III. Rom., Papa 176. a 19. Decemb. 1187. ad 25. Martii 1191. Cruciatam hic vulgavit contra Saracenos.

Clemens IV. Gallus Occitanus (de Saint Gilles, en Languedoc), Papa 185., C. 5. Februarii 1265., m. 29. Novemb. 1268. Opera varia scripta reliquit.

Clemens V. Gallus Dioecesis Vasatensis (de Bazas), Papa 197. a 5. Junii 1305. ad 20. Aprilis 1314. Vocabatur prius Bertrandus de Gouth. Hic Perusii electus, coronatus fuit Lugduni in Ecclesia S. Justi coram Philippo Pulchro, et Aulae Principibus. Sedem suam fixit Avenione an 1309., ubi deinceps RR. Pontifices sederunt per 70. annos usque ad Gregorium XI. Praefuit Con. Gen. Viennensi XV. an. 1311.

Clemens VI. Gallus Benedictinus, Papa 200. C. 7. Maii 1342., m. 6. Decemb. 1352. Vocabatur prius Petrus Roggerus. Vir fuit doctrina clarus, et memoria tenaci; de hoc magnificè loquitur Petrarcha eidem coaevus. Hic Jubilaeum statuit de 50. in 50. annos.

Clemens VII. ex Medicea Domo, vocatus antea Julius, Papa 223. a 29. Novemb. 1523. ad 26. Septemb. 1534. Hic Pontifex confoederationem iniit cum Gallis, et Venetis contra Imper. Carolum V., a quo cum gravi exercitu obsessa Roma, clam fugere coactus est sub alieno habitu, et in Galliam se recipere. Ab eo tempore numquam barbam

bam tonsus est. Tandem rebus compositis cum Imperatore, paulo ante mortem suam excommunicavit Henricum VIII. Reg. Angliae ob repudiatam Catharinam legitimam uxorem.

Clemens VIII. Florentinus de Aldobrandinis, cui antea nomen Hippolitus, Papa 235. a 30. Januarii 1592. ad 3. Martii 1605. Congregationes celebravit dictas *de Auxiliis*, quae octo, et amplius an. perdurarunt, ad terminandas quaestiones magno aestu exagitatas Dominicanos inter et Patres Societ. Jesu. Adlaboravit plurimum pro moribus reformandis, scientiis promovendis, et conversione Haereticorum, quorum plurimos ad Ecclesiae sinum reduxit. Erga literatos, et benemeritos profusus: quare purpura donavit Baronium, Bellarminum, Toletum, de Ossat, du Perron, aliosque percelebres homines auxit dignitatibus.

Clemens IX. Italus Pistoriensis, dictus antea Julius Rospigliosi, Papa 243., C. 20. Junii 1667., m. 9. Decemb. 1669. Laudabiliter rexit Ecclesiam. Institit pro obedientia Constitutionis Alex. VII. praecipientis Formularii subscriptionem; hinc 4. Galliae Episcopos ad pacem, et communionem recepit. Principum animos vehementer excitavit ad suppetias ferendum Venetis contra Turcas, qui Candiam obsidebant, quam cum captam ab iisdem audisset, gravi moerore correptus, mortuus est.

Clemens X. (Æmilius Altieri) Rom., Pa-

Papa 243. a die 9. Aprilis 1670. ad 22. Julii 1676.

Clemens XI. Italus Urbinas (Joan. Franciscus Albani) Papa 247. C. 23. Novemb. 1700., M. 19. Martii 1721. Damnavit iterum 5. Jansenii propositiones in sua Bulla *Vineam Domini sabaoth*; item die 8. Septemb. 1713. Constitutionem *Unigenitus* emisit contra 101. propositiones P. Quesnelli. Doctrina, et pietate omnibus se plurimum commendavit. Obstitit per triduum, ne Papalem dignitatem acciperet, quam tamen difficillimis temporibus prudenter substinuit.

Clemens XII. Florentinus Corsinus, Papa 250. C. 12. Julii 1730., M. 6. Februarii 1740. Tributa minuit populo Romano; justitiam exercuit erga praevaricatores, et in omnibus sapienter, atque pacificè regnavit. Vocabatur antea Laurentius.

Clemens XIII. Venetus (Carolus Rezonicus) Papa 252. a 6. Julii 1758. ad 2. Februarii 1769. Laudabiliter rexit Ecclesiam; sed Venetis suis non multum charus.

Clemens XIV. Rom. (Laurentius Ganganelli) professione Franciscanus, Papa 253. C. 19. Maii 1769, M. 22. Septemb. 1774. Hic tandem ad preces Principum Christianorum, ut Catholico orbi pacem conciliaret, dissolvit Societatem Jesu.

S. Cletus Rom., Papa 3. ab an. 78. ad 91.

Conon Thracius Papa 84., a 21. Octobris 686. ad 21. Septemb. 687.

S. Cornelius Rom., Papa 22. a 4. Junii

251.

251. ad 14. Septemb. 252. Hujus temporibus surrexit 1. Antipapa Novatianus, qui eodem anno damnatus fuit in Concilio Romae habito. Hujus Pontificis extant duae Epistolae valde utiles, quae apud S. Cyprianum reperiuntur. Martyr occubuit in exilio.

D.

S. Damasus I. Hispanus, Papa 18., C. 1. Octobris 366., m. 11. Decemb. 384. Concilio Gener. II. praefuit per Legatos suos.

Damasus II. Bavarus, Papa 153. a 17. Julii 1048. ad 8. Augusti an. ejusdem.

S. Deus-Dedit Rom., Papa 69. a 19. Octob. 615. ad 8. Novemb. 618.

S. Dionysius, cujus patria ignoratur, Papa 26. a 21. Julii 259. ad 26. Septemb. 269.

Domnus I. Rom., Papa 79., C. 1. Novemb. 676., m. 11. Aprilis 678.

Domnus II. Rom., Papa 137. a 20. Septemb. 972., qui post tres menses moritur.

E.

S. Eleutherius Graecus, Papa 14., ab ineunte Majo 177. ad 26. Maji 193.

S. Evaristus Graecus, Papa 6., ab an. 102. ad 26. Octob. 111.

Eugenius I. Rom., Papa 76., ab 8. Septemb. 654. ad 1. Januarii 657.

Eugenius II. Rom., Papa 101. a 14. Februarii 824. ad 11. Augusti 827.

Eugenius III. Pisanus (Petrus Bernardus), S. Bernardi discipulus, ad quem sunt ipsius Bernardi libri *de Consideratione* , Papa 169. C. 27. Februarii 1145. , M. 8. Julii 1153. Satis hic pro bono religionis adlaboravit, ac prudenter rexit Ecclesiam.

Eugenius IV. Venetus, Papa 211. , C. 3. Martii 1431. , M. 23. Februarii 1447. Praefuit Conc. Generali XVII. Florentino , in quo Unio Graecorum perfecta est cum Ecclesia Latina . Vocabatur prius Gabriel Condolmerius .

S. Eusebius Graecus , Papa 32., a 10. Maji 310. ad 26. Septemb. ejusdem anni .

S. Eutichianus Tuscus , Papa 28. , a 5. Januarii 275. ad 7. Decemb. 283.

F.

S. Fabianus Rom., Bapa 21., a 10. Januarii 236. ad 20. Januarii 250.

S. Felix I. Rom., Papa 27. a 29. Decemb. 269. ad 30. Decemb. 274.

S. Felix II. Rom. S. Gregorii M. atavus, Papa 49., C. 6. Martii 483. M. 24. Februarii 492. Rejecit edictum unionis Imper. Zenonis, et anathemate feriit eos, qui illud acceptassent. Multa etiam habuit Concilia, in quibus damnavit Petrum Mongum, Petrum Fullonem, et Acacium CP.

Felix III. Beneventanus, Papa 55., a 12. Julii 526. ad 18. Septemb. 530. Doctrina , zelo , ac pietate bene se gessit in Pontificatu.

For-

Formosus Rom., Papa 113., C. 19. Septemb. 891., m. 4. Aprilis 896. Hujus Papae defuncti cadaver Stephanus VI. ejus Successor exhumari fecit, et Pontificalibus indutum, et in Apostolica Sede collocatum, ei modis indignis (nescio quo insaniae furore ductus) tamquam viventi exprobravit, quod nimia ambitione Pontificatum invasisset: dein cadaver sic contumeliose affectum, et sacris exutum vestibus, digitisque, quibus benedicebat Formosus, mutilatum, in Tiberim fluvium projici jussit. Ast, Deo vindice, Stephanus post 4. an. Sede pulsus, et in carcerem detrusus, ibique laqueo strangulatus est. Successores Pontifices factum Stephani detestati sunt, et Formosi memoriam iterum cohonestarunt.

G.

S. Gelasius I. Afer, Papa 59. a 1. Martii 494. ad 19. Novemb. 496. Extant hujus P. Opera varia.

Gelasius II. Italus Cajetanus, Benedictinus, Papa 169. à 25. Januarii 1118. ad 19. Januarii sequent. anni. Vocabatur prius Joannes. Brevis Papatus, et numquam quietus, propter Henrici V. Imper., aliorumque persecutiones; quare in Galliam fugere coactus fuit, ubi brevi vitam finivit.

S. Gregorius I. Rom. cognomento Magnus, Papa 65., C. 3. Decemb. 590. M. 12. Martii 604. Unus hic est ex quatuor Docto-

ribus

ribus Ecclesiae, qui sanctitate eximia, miraculis, prudentia, zelo, scriptisque plurimis totam Ecclesiam illustravit.

S. Gregorius II. Rom., Papa 90. a 10. Maji 715. ad 10. Februarii 731. Hic S. Bonifacium misit in Germaniam, ut infideles ad Christum converteret.

S. Gregorius III. Syrus, Papa 91. a 18. Martii 731. ad 27. Novemb. 741. Hic Epistolas dedit ad Leonem Imper. pro cultu Sacrarum Imaginum, et Iconoclastas excommunicavit. Primus, qui voluntate populi Romani in Exharcatum Ravennensem jure Principum dominatus est.

Gregorius IV. Rom., Papa 103., C. 24. Septemb. 827., m. 25. Januarii 844. Hic solemnitatem instituit Sanctorum omnium.

Gregorius V. Germanus (Bruno) Papa 143. ab 11. Junii 996. ad 18. Februarii 999. Ejecit Roma Antipapam Joannem.

Gregorius VI. Rom. (Joannes Gratianus), Papa 151. ab an. 1044. ad 1046. mense Decembri, quo Papalem dignitatem abdicavit in Sutriensi Concilio.

S. Gregorius VII. Soanensis e Tuscia, (Ildebrandus), Papa 159., C. 22. Aprilis 1073., m. 25. Maji 1085. Magna profecto fecit Gregorius. Habuit Romae Concilium contra Simoniacos, et Clericos concubinarios; eosque omnes excommunicationi subjecit, qui a Laicis personis Beneficiorum investituras recepissent, et eos Laicos quantacumque dignitate pollentes qui eas dare praesumerent.

Ex

Excommunicavit Henricum IV. Imperatorem, ejusque subditos a data fide liberavit, quandiu non resipuisset. Cum nonnullis Germaniae Principibus, praesertim vero cum duabus regalibus mulieribus Beatrice Ava, et Metilde sorore secunda Henrici: quare Henricus coactus est in Italiam se deportare, ut a Pontifice peteret absolutionem, quam obtinuit duris satis conditionibus. Ipse tandem mortuus est in exilio, pulsus Roma ab Henrico.

Gregorius VIII. Beneventanus (Albertus de Mora) Papa 175. a 20. Octobris 1187. ad 17. Decemb. an. ejusdem.

Gregorius IX. Anagninus (Hugolinus) Papa 180., C. 19. Martii 1227. M. 21. Augusti 1241. Hic inter alios retulit in Album Sanctorum S. Franciscum Assisiatem; excommunicavit, atque deposuit Fridericum II. Imperatorem, cum quo bella gessit diuturna.

B. Gregorius X. e Vice-comitibus Placentiae (Tribaldus) Papa 186., a 1. Septemb. 1271. ad 10. Januarii 1276. Praefuit Concilio XIV. Generali, Lugdunensi II. Hic statuit, ut Cardinales post mortem Pontificis Conclavi se includerent, nec inde exirent, nisi prius facta novi Papae electione.

Gregorius XI. Lemovicensis (Petrus Rogerius, nepos Clementis VI.) Papa 203. a die 30. Decemb. 1370. ad 27. Martii 1378. Hic damnavit errores Wiclefi, et Avenione Romam reduxit Apostolicam Sedem.

Gregorius XII. Venetus (Angelus Cor-

ra-

rarius) Papa 207. Electus fuit 30. Novemb. 1406. tempore Schismatis usque ad 1415. quando Pontificatum deposuit in Constantiensi Concilio.

Gregorius XIII. Bononiensis (Hugo Buoncompagni) Papa 130. C. 13. Maii 1572., m. 10. Aprilis 1585. Hoc Pontifice regnante, Catholica religio felices habuit progressus in Japonia, et Imperio Sinensi, aliisque in Nationibus, et Legatos a Japoniae Regibus jam Christianis missos paterno recepit affectu. Kalendarium quoque Rom reformavit.

Gregorius XIV. Mediolanensis (Nicolaus Sfondratus) Papa 233., a 5. Decemb. 1590. ad 15. Octob. anni sequentis.

Gregorius XV. Bononiensis (Alexander Lodovisius) Papa 238. C. 9. Februarii 1621. m. 8. Julii 1623. Hic statuit per Bullam suam, ut electio Papae fieret per suffragia secreta. In Sanctorum numerum retulit S. Ignatium a Lojola, S. Franciscum Xaverium, S. Philippum Neri, S. Teresiam, aliosque Dei servos. Tandem instituit Congregationem *de Propaganda Fide*.

H.

S. Higinus Graecus, Papa 10., ab an. 139. ad 10. Januarii 143.

S. Hilarius, Sardus, Papa 47., a 12. Novemb 461 ad 21. Februarii 468. In Concilio habito Romae damnavit haereses Euthychetis

chetis, et Nestorii, confirmavitque Con. Generalia, Nicaenum, Ephesinum, et Calcedonense. Extant hujus 11. Epistolae, nonnullaque Decreta.

Honorius I. Campanus, Papa 71., a 27. Octob. 625. ad 12. Octob. 638. Hic est Honorius ille, de quo tam multa disputari solent in Tractatu de Incarnatione, quasi ille senserit cum Monothelitis; quare errore facti damnatus fuit a VI. Synodo, et a Papa Agathone.

Honorius II. Bononiensis (Lambertus) Papa 165. C. 21. Decemb. 1124. m. 14. Februarii 1140. Confirmavit hic Ordinem Canonicorum Regularium Praemonstratensium an. 1126., et Ordini militari Templariorum jam approbato in C. Trecensi an. 1128., formam, et colorem habitus praescripsit.

Honorius III. Rom. (Cencius Savelli) Papa 179., C. 17. Julii 1216., m. 18. Martii 1227. Hic approbavit Ordines Relig. S. Dominici, et S. Francisci.

Honorius IV. Rom., Papa 192., a 2. Aprilis 1285. ad 3. Aprilis 1287.

S. Hormisdas Campanus, Papa 53. a 27. Julii 514. ad 6. Augusti 523.

I.

S. Innocentius I. Albanensis, Papa 41., a 21. Decemb. ad 12. Martii 417. Hic causam defendit S. Joan. Chrysostomi, Novatianos, et Pelagianos damnavit; et ita sanctè

ac

ac laudabiliter rexit Ecclesiam, ut a S. Augustin., et Hieronymo laudibus extollatur.

Innocentius II Rom. (antea Gregorius) Papa 166., C. 21. Februarii 1130. , M. 24. Septemb. 1143. Praefuit hic Con. Generali X. Lateranensi II, an. 1139.

Innocentius III. Anagninus (Lotharius) Papa 178., ab 8. Januarii 1198. ad 17. Julii 1216. Praefuit Concilio XII. Generali, Lateranensi IV., an. 1215. Pontifex hic vere Legisperitus zelavit plurimum pro Domo Dei, et pretiosa reliquit Scripta, nempè Epistolas plurimas, quas in 2. volum. in folio edidit M. Balutius, tres libros vere aureos: *De contemptu mundi*, *seu de miseria humanae conditionis*. Huic etiam attribuuntur hymnus *Veni S. Spiritus*, *et emitte coelitus ec.*, et *Stabat mater*.

Innocentius IV. Genuensis (Sinibaldus Fecischi) Papa 206., a 17. Octob. 1404. ad 6. Novemb. 1406. Coegit an. 1245. Concil. Generale XIII., Lugdunense I., in quo excommunicavit Fridericum II. Imper. Et primus est, qui dedit Cardinalibus rubrum Pileum, quo commonerentur, semper eos paratos esse debere ad effundendum sanguinem pro fide: Jurisprudentiae adeo peritus fuit, ut vulgò diceretur *Pater Juris*: de quare ejus extant Opera eximia.

Innocentius V. Tarentasiensis ex Familia S. Dominici (Petrus antea dicebatur), Papa 187., a 20. Januarii 1276. ad 22. Junii ejusdem anni. Commentaria in 4. Lib. Sententiarum, et alia Opera reliquit.

In-

Innocentius VI. Gallus (Stephanus Albertinus) Papa 201., C. 18. Decemb. 1352. M. 12. Septemb. 1362. Beneficiatos ad residentiam coegit, literatos, et benemeritos protexit, et plurimum adlaboravit pro extinctione belli, quod agebatur inter Regem Franciae, et Angliae Regem.

Innocentius VII. Sulmonensis Apulus (Cosmus Migliorati) Papa 206. a 17. Octob. 1404. ad 6. Novemb. 1406.

Innocentius VIII. Genuensis (Joan. Baptista Cybo) Papa 217. a 29. Apr. 1484. ad 25. Julii 1492.

Innocentius IX. Bononiensis (Joan. Antonius Fachinetti) Papa 234. a 30. Octob. 1591. ad 30. Decemb. ejusdem anni.

Innocentius X. Rom. (Joan. Baptista Panfili) Papa 240., C. 15. Septemb. 1644.; M. 7. Januarii 1655. Solemni Constitutione proscripsit quinque propositiones Jansenii, die 30. Maji 1653.

Innocentius XI. Italus Comensis (Benedictus Odescalchi) Papa 244., a 22. Septemb. 1676. ad 12. Augusti 1689. damnavit errores de Molinos, et Quietistarum.

Innocentius XII. Neapolitanus (Antonius Pignatelli) Papa 246. C. 12. Julii 1691 ad 27. Septemb. 1700. Damnavit in globo 23. Propositiones excerptas ex lib. Fenelonis Cameracensis Archiepiscopi, cujus censurae humillimè Auctor statim acquievit, sicque error finitus fuit.

Innocentius XIII. Rom. de Comitibus

(Michael Angelus) Papa 248. ab 8. Maji 1721. ad 7. Martii 1724.

S. Joannes I. Tuscus, Papa 58. a 3. Augusti 523. ad 18. Maji 526. Ravennae decessit in carcere, in quo impius Theodoricus Italorum Rex fecerat includi.

Joannes II. Rom., cognomento Mercurius, Papa 57. a 21. Januarii 532. ad 27. Maji 535. Approbavit sequentem propositionem, quae sub Hormisda tanto aestu exagitata fuerat: *Unus e Trinitate passus est carne*.

Joannes III. Rom., Papa 62. a 18. Julii 560. ad 13. Julii 573.

Joannes IV. Dalmata, Papa 73. a 24. Decemb. 640. ad 11. Octob. 642. Hic damnavit haeresim Monothelitarum, et Ectesim Heraclii Monothelismo faventem, in quodam Concilio Romae habito.

Joannes V. Syrus Antiochenus, Papa 83. a 23. Julii 685. ad 1. Augusti 686. Vir iste utique doctus, et probus praefuerat sub Agathone Con. Generali VI.

Joannes VI. Graecus, Papa 86. C. 28. Octob. 701., m. 9. Januarii 705.

Joannes VII. Graecus, Papa 87. a 1. Martii 705. ad 17. Octob. 707.

Joannes VIII. Rom., Papa 109. Hic Pontifex occasionem praebuit vulgo, ut foemina crederetur, et fabulam oriri fecit *Joannae Papissae*, eo quòd solicitatione Basilii Imper. recepit ad communionem Photium, eumque Sedi CP. restituit.

Joannes IX. Tiburtinus ex Ord. S. Bene-

nedicti, Papa 118. a mense Julii 898. usque ad finem Julii 900.

Joannes X. Ravennas, Papa 125. a fine Apr. 914. ad mensem Junii 928. Hic Saracenos armis devicit, fugavitque. Strangulatus fuit in carcere imperio, ac fraude impudicae Marosiae Guidonis Ducis Hetruriae uxoris.

Joannes XI. Rom. Papa 128. a mense Martii 931. ad initium Januarii 936. De hoc Pontifice duo scimus, unum, quia, ut Luitprandus scribit, expurius erat; alterum, quod in carcere vitam finierit.

Joannes XII. Rom. Papa 133. a 20. Augusti 956. ad 14. Maji 964. Hic primus dicitur, qui in Consecratione sua nomen mutaverit; vocabatur enim prius Octavianus. Nihil de hoc Pontifice habemus, quod sit laude dignum.

Joannes XIII. Rom., Papa 135., a 1. Octob. 965. ad 6. Septemb. 972.

Joannes XIV. Papiensis (Petrus) Papa 139. a mense Julii 984. ad 20. Augusti 985. Decessit in carcere, opera Bonifacii VII. Antipapae.

Joannes XV. Rom., Papa 141., electus quidem an. 985., sed non consecratus, quia paulo post electionem obiit.

Joannes XVI. Rom., Papa 142., ab ineunte Decembri 985. ad 7. Maji 996. Hic primum dedit exemplum solemnis Canonizationis, referens in Album Sanctorum Uldericum Episcopum Augustae.

Joannes XVII. Rom., Papa 145. Ast creatus an. 1003. post quinque menses, et aliquot dies moritur 8. Decembris. Alter hic est ab Antipapa Joan. XVII., quem Octo III. Imperator oculis, manibus, auribusque mutilavit.

Joannes XVIII. Rom., Papa 146. a 20. Decemb. 1003. ad 18. Julii 1009.

Joannes XIX. ex Comitibus Tusculanis, frater Benedicti VIII., Papa 149. Fratri successit 6. Junii 1024,, et mortuus est 8. Novemb. 1035.

Joannes XX. Ulissiponensis, Papa 189. a 15. Septemb. 1276. ad 16. Maji 1277 Dicitur hic tamen vulgo Joannes XXI., quia sub Gregorio V. Antipapa quidam se Joannem XX. nominavit. Hic revocavit Constitutionem Gregorii X. circa electionem Papae. Multa opera reliquit Philosophiae, et medicinae.

Joannes XXII (Jacobus) Gallus, Papa 198., C. 7. Augusti 1316., M. 4. Decemb. 1334. Hic est ille Joannes, qui multa passus est propter adhaesionem quam habuit ad Millenariorum placita; quare ante mortem opinionem suam retractavit. Vulgavit Constitutiones, quae *Extravagantes* dicuntur.

Joannes XXIII. Neapolitanus (Balthassar Cossa) Papa 209. a 17. Maji 1410. ad 29. Maji 1415. quando depositus fuit a Con. Constantiensi.

S. Julius I. Rom., Papa 36. a 6. Februarii 337. ad 12. Aprilis 352. Pro fide Ca-

Catholica plurimum laboravit adv. Arianos, et S Athanasium ad Sedem Apostolicam appellantem innocentem judicavit.

Julius II. Savonensis (Julianus della Rovere) Papa 220. a 13. Octob. 1503. ad 21. Febr. 1513. Hic Pontifex ad bella valde pronus, nomen suum faedavit, praesertim propter ea, quae egit adv. Ludovicum XII. Reg. Francorum: qua de re coactum est Pisanum Concilium, ad quod appellaverat Ludovicus.

Julius III. Hetruscus (Joannes Maria de Monte) Papa 225. ab 8. Febr. 1550. ad 23. Martii 1555. Prosequutus est Con. Tridentinum, cui praefuerat sub Paulo III., et Societatem Jesu ab ipso Paulo 1540. approbatam confirmavit.

L.

Landus Sabinus, Papa 124. a 16. Octob. 913. ad 26. Aprilis 914.

S. Leo I. Tuscus cognomento Magnus, Papa 46. a 22. Septemb. 440. ad 4. Novemb. 461. Praefuit per Legatos Calcedonensi Con. Gen. IV. Quae Leo fecit, et scripsit, toto jam orbi Christiano patent.

S. Leo II. Siculus, Papa 81. a 17. Augusti 682. ad 3. Julii 683.

Vir iste graecè, et Latinè doctus, et in Jure Canonico bene versatus, sanctissimè rexit Ecclesiam doctrina non minus, quàm pietate. Confirmavit Con. Generale VI.

S.

S. Leo III. Rom., Papa 98. a 27. Decemb. 795. ad 11. Junii 816. Hic Imperiali corona donavit Carolum Magnum, die Nativitatis Domini an. 800.

S. Leo IV. Rom., Papa 105. a 12. Apr. 847. ad 17. Julii 855.

Leo V. Ardeatinus, Papa 120., creatus an. 903., sed post duos menses malorum hominum factione pulsus est, et carceri traditus, ubi brevi maerore consumptus est.

Leo VI. Romanus, Papa 126. a mense Junio 928. ad Februarium 929.

Leo VII. Rom., Papa 129. ab ineunte Januario 936. ad 18. Julii 939.

Leo VIII. adhuc Laicus imperio Octonis Imper. electus est, vivente Joanne XII., a quo Leo in Con. Romano depositus est. Hunc Fleurius legitimum Pontificem asserit; sed adversantur Baronius, et P. Pagius.

S. Leo IX. (antea Bruno) Franco-Germanus, Papa 154. C. 2. Febr. 1049., M. 19. Apr. 154. Sub hoc Pontifice incaepit luctuosum schisma Graecorum.

Leo X. Florentinus ex Medicea Domo, Papa 221., et quidem famosus, C. 11. Martii 1513., M. 2. Decemb. 1521. Con. Lateranensi V., et Generali XVII. ab Julio II. Praedecessore suo incepto finem imposuit. Pro restauratione bonarum artium indesinenter adlaboravit, et homines scientiatos valde colebat. Cruciatam vulgavit contra Selimuni Turcarum Imper.; ad id operis auxilio, aut pecunia cooperantibus, quemadmodum et

con-

consummationi Fabricae S. Petri, indulgentias plurimas elargitus est. Quod causae fuit Luthero, ut eas impugnaret, ac tandem a Catholica fide deficeret,

Leo XI. Florentinus (Alexander Octavianus) et ipse ex Medicea Domo, Papa 236. a 1. Aprilis 1609. ad 27. ejusdem mensis, et anni.

Liberius Rom., Papa 37. a 22. Maji 352. ad 22. Novemb. 366. Liberii lapsum in haeresim Arianam nobis objiciunt omnes fere Novatores: sed Catholici eum ab haeresi vindicant; et recentiores Theologi, quos inter Juveninus, Vitassius, aliique demonstrant Formulam, cui Liberius subscripsit, non esse Arianam.

S. Linus Volaterranus in Etruria, Papa 2. ab an. 67. ad 23. Septemb. 78. Sub hoc Pontifice, an. scilicet 70. contigit destructio Templi Jerosolymitani, sub Imper. Vespasiano, et Tito.

S. Lucius I. Rom., Papa 23. ab an. 252. ad 4. Martii 253.

Lucius II. Bononiensis, Papa 168. a 12 Martii 1144. ad 25. Februarii 1145. Extant hujus 10. Epistolae.

Lucius III. Lucensis in Etruria, Papa 173. a 1. Septemb. 1181. ad 25. Novembris 1185. Tumultuante contra eum populo Romano, Veronam se deportare coactus fuit, sed paulo post Romam reversus est. Extant hujus tres Epistolae.

S. Marcellinus Rom., Papa 30. a 30. Junii 296. ad 24. Decemb. 304. Quod de hujus Pontificis lapsu in idololatriam narratur, fabulam esse a Donatistis confictam, suspicatur S. Augustinus Lib. de unitate Bapt. C. 16.

S. Marcellus I. Rom., Papa 31., C. 27. Junii 308., m. 16. Januarii 310. Propter persecutionem Rom. Imperatorum habes hic interregnum quasi 4. annorum.

Marcellus II. Italus e Monte Politiano, Card. Bellarmini avunculus, Papa 226., C. 9. Aprilis 1555., sed post 24. dies moritur.

S. Marcus Rom., Papa 35. a 18. Januarii 336. ad 7. Octob. proximè sequentis.

S. Martinus I. Tudertinus (ab aliis Marinus dictus) Papa 75., C. 5. Julii 649. m. 16. Septemb. 655. Hic magnum habuit Conventum Romae, in quo haeresim damnavit Monothelitarum, Ectesim Heraclii, ac Typum Constantis, a quo tandem in Chersonesum relegatus est, ubi martyr occubuit.

Martinus II. (ab aliis I.) ex Galesio Faliscorum in Etruria, Papa 110. ab exeunte an. 882. ad mensem Maji 884.

Martinus III. (ab aliis II.) Rom., Papa 131. ab an. 942. ad Junium 946.

Martinus IV. (ab aliis III.) Gallus patria Biensis (Simon la Brie) Papa 191., C. 22. Februarii 1281., M. 28. Martii 1285. Hic excommunicavit Michaelem Paleologum tamquam fautorem Graecorum schismatis,

ac

ac etiam Petrum III. Aragoniorum Regem, qui post stragem factam in Vesperis Sicilianis Siciliam invaserat.

Martinus V. (ab aliis IV.) Rom. (Octo Columnensis) Papa 210. , C. 11. Novemb. 1417., M. 20. Februarii 1431. Electus fuit in Constantiensi Concilio ad extinguendum schisma.

N.

S. Nicolaus I. Rom. , Papa 107. a 28. Aprilis 858. ad 13. Novemb. 867. Hic per Legatos CP. missos causam cognovit S. Ignatii, et anathemate percussit Photium diri schismatis auctorem, quod adhuc perseverat inter Graecam, et Latinam Ecclesiam. Excommunicavit quoque Lotharium cum Valdadra concubina sua. Adlaboravit plurimum pro conversione Bulgarorum, a quibus an. 886. consultus fuit super 106. Religionis quaestiones, quibus ipse per totidem articulos responsa dedit. Hinc propter haec, et alia praeclara facta nomen *Magni* adeptus est sibi.

Nicolaus II. Allobrox (antea Gerardus) Papa 157. a 28. Decemb. 1058. ad 22. Julii 1061. Extant hujus 9. Epistolae.

Nicolaus III. Rom. (Joannes Cajetanus Orsini) Papa 190. a 25. Novemb. 1277. ad 22. Augusti 1280. Attribuitur huic Nicolao Tractatus quidam *de Electione dignitatum*.

Nicolaus IV. Asculanus (Hieronymus ex Minorum sodalitio) Papa 193. a 22. Februa-

bruarii 1288. ad 4. Aprilis 1292. Vir fuit optime excultus in Philosophicis, ac Theologicis facultatibus, et egregia multa utiliter, et laudabiliter patravit.

Nicolaus V. Italus Sarzanensis (antea Thomas) Papa 212. a 6. Martii 1447. ad 25. Martii 1455. Hic Pontifex quietus, pius, liberalis, magnificus, publicae utilitatis, profectus Religionis, Literatorum amantissimus, cum omnium laude Papatum tenuit. Ad excitanda bonarum literarum studia, multis jam retro annis neglecta, ac veluti sepulta, ulli non pepercit labori. Undequaque MS. quaesivit Graeca, et Latina, ut Bibliothecam ditaret; et eos, qui Graecos libros verterent in Latinum, magnificis muneribus, et honoribus auxit. Sub hoc Pontifice Constantinopolis venit sub potestate Turcarum, quod tantae fuit Nicolao tristitiae, ut non multo post moreretur.

P.

S. Paschalis I. Rom., Papa 100. a 25. Januarii 817. ad 10. Februarii 824.

Paschalis II. Rom., Monachus Cluniacensis (antea Raynerius) Papa 162. a 13. Augusti 1099. ad 21. Januarii 1118. Hic Cisterciensem Ordinem approbavit an. 1100., et Ordinem Fontis-Ebraldi 1106. Extant hujus Epistolae plurimae.

S. Paulus I. Rom., Papa 95. a 9. Maji 752. ad 28. Junii 767.

Pau-

Paulus II. Venetus, Papa 215. a 28. Augusti 1464. ad 26. Junii 1471. Hic Pontifex multa privilegia contulit Cardinalibus. Jubilaeum ad 25. annum revocavit, nempe ut de 25. in 25. an. celebraretur, ut etiam nunc in more est. Plurimum adlaboravit, ut toti Italiae pacem restitueret.

Paulus III. Rom. (Alexander Farnensis) Papa 224. a 13. Octob. 1534. ad 10. Novemb. 1549. Hic primum coegit Con. Generale Mantuae, quod postea transtulit Tridentum, ubi 1. Sess. habita est die 13. Decemb. 1545. Extant hujus Epistolae nonnullae.

Paulus IV. Neapolitanus (Joan. Petrus Caraffa) Papa 227., C. 23. Maji 1555., M. 18. Augusti 1559. Justitiae, et religionis amantissimus hic fuit, nec minus pro reformatione abusuum in Ecclesiasticis laboravit, fideique defensione, ac firmitate; omnemque tandem emisit conatum, ut toti Italiae pacem restitueret. Ob tamen severitatem quo vitia persequebatur, et sontes puniebat, multorum odia ita subilt, ut, statim e vita sublato, furore populi ejus Statua comminuta fuerit, stegmata, atque monumenta familiae Caraffa destructa. Paulus IV. una cum S. Cajetano Institutor fuit Theatinorum; ita dicti, quia ipse prius erat Ep. Theatinus.

Paulus V. Rom. (Cammillus Borghesi) Papa 237. a 17. Maji 1605. ad 28. Januarii 1621. Interruptas Congregationes *de Auxiliis*

liis reassumpsit, et biennio post terminavit, PP. Dominicanorum, et Jesuitarum Scholis libertate relicta suas opiniones defendendi.

Pelagius I. Rom., Papa 61. ab 11. Aprilis 555. ad 1. Martii 560. Hic damnavit Tria Capitula. Extant hujus 16. Epistolae.

Pelagius II. Rom., Papa 64. a 30. Novemb. 578. ad 8. Februarii 590. Hoc Pontifice regnante, tam saeva pestis Romae grassata est, ut homines etiam starnutendo, et obscitando statim morerentur: unde obortus creditur mos ille, ut sternutantibus dicatur: *Dio vi salvi*, et super os obscitantis signum Crucis efformandi.

S. Petrus ab ipso Christo Jesu constitutus visibile Caput Ecclesiae, eam rexit an. 34., aut paulo amplius, nempe ab an. 33. ad 26. Junii 61., quando Martyr occubuit Romae, ubi Sedem fixerat ab annis 24. mensibus 5., diebus 12. Nullus hactenus RR. Pontificum tandiu Romanam Sedem tenuit.

S. Pius I. Aquilejensis, Papa 11. ab an. 143. ad 11. Julii 157. Epistolae, quae huic attribuuntur, supposititiae sunt.

Pius II. Senensis (Aeneas Sylvius Piccolomini) Papa 214. a 19. Augusti 1458. ad 14. Augusti 1464. Bullam vulgavit 1460. contra appellantes ad futurum Concilium; et quae prius scripserat in favorem Basileensis Concilii, cui ipse aet. an. 26. interfuerat, per aliam Bullam irrita voluit an. 1463. Corsignanum, ubi natus fuerat Pientiam appellavit.

Pius III Senensis (Franciscus Todeschini) Papa

Papa 219. a 12. Septemb. 1503. ad 18. Octob ejusdem anni.

Pius IV. Mediolanensis (Joannes Angelus Medici) Papa 228., C. 26. Decemb. 1559., M. 9. Decemb. 1565. Sub hoc Pontifice S. Caroli avunculo feliciter finem habuit Concilium Tridentinum an. 1560.

S. Pius V. Italus e Bosco prope Alexandriam Dominicanus (antea Michael Ghislieri) Papa 228., C. 7. Januarii 1566., M. 1. Maji 1572. Hujus Pontificis zelus mirifice exarsit adversus Haereticos, multosque ipsorum flammis con umpsit. Propositiones erroneas n. 79. Michaelis Baji Doct. Lovaniensis solemniter damnavit. Ordinem Humiliatorum abolevit. Volumen Epistol. reliquit, cusum Atuerpiae 1640.

Pius VI. Cesenates (Joan. Angelus Braschi) Papa 254. a die 15. Februarii 1775. adhuc feliciter regnans, inter tot procellas, quae sub ipso passa est Ecclesia, prudentia admirabili, atque consilio Pontificatum gerens.

S. Pontianus Rom, Papa 19. a 22. Junii 230. ad 19. Novemb. 235.

R.

Romanus natione Faliscus, Papa 116. a mense Octob. 897. ad finem Januarii 898.

S.

Sabinianus Tuscus, M. Gregorii successor

sor, Papa 66. a 13. Septemb 604. ad 22. Februarii 606.

S. Sergius I. Syrus, Papa 85. a 15. Decemb. 687. ad 8. Septemb. 701. Approbavit Concilium Quini-sextum, et jussit cantari in Missa *Agnus Dei, qui ec.*

Sergius II. Rom., Papa 104. a 10. Februarii 844. ad 27. Januarii 847.

Sergius III. Rom., Papa 147. a mense Junio 904. ad 911. ante finem Augusti. Hic malae notae Pontifex fuit.

Sergius IV. Rom.; Papa 157. ab 11. Octob. 1008. ad 13. Julii 1012. Liberalis hic valde fuit erga pauperes.

Severinus Rom., Papa 72., qui post duos menses et aliquot dies obiit 1. Augusti 610.

S. Simplicius Tiburtinus, Papa 48. a 25. Februarii 468. ad 2. Martii 483.

S. Siricius Rom., Papa 39. a mense Decemb. 384. ad 26. Novemb. 398. Hujus Epistola ad Himerum Ep. Tarraconensem, in qua multas magni momenti quaestiones dissolvit, juxta eruditos prima est inter Decretales. Ipse damnavit Jovinianum, ejusque sequaces.

Sisinnius Syrus, Papa 88. an. 708., post 20. dies decessit 6. Februarii.

S. Sixtus I. Rom. Papa 8. ab an. 119. ad 6. Aprilis 129.

S. Sixtus II. Atheniensis, Papa 25. a 24. Augusti 257. ad 6. Augusti anni sequentis. Hic est ille Sixtus, cujus Diaconus erat S. Laurentius martyr. Si-

Sixtus III. Rom., Papa 45. ab ineunte Augusto 432. ad 11 Aug. 440. Multum laboravit ad exterminandas haereses Pelagii, atque Nestorii.

Sixtus IV. Savonensis, Franciscanus (antea Franciscus) Papa 231. a 24. April. 1571. ad 13. Augusti 1584. Ordinem approbavit Minimorum. Librum scripsit de Immac. B. M. V. Conceptione, ejusque Festum per totam Ecclesiam celebrari praecepit.

Sixtus V. Italus Picenus, Franciscanus (prius Felix, deinde Montaltus Peretti) Papa 231. a 24. April. 1585. ad 27. Aug. 1590. Incredibili studio laboravit, ut Vulgatam Sacrorum Bibliorum Editionem ad nativam reduceret puritatem. Qui, et quantus fuerit m. hic Pontifex testatur erecta in ejus honorem in Capitolino Statua cum hac inscriptione: *Sixto V. P. M., ob quietem publicam, compressa Sicariorum licentia, restitutam; Annonae inopiam sublevatam, Urbem aedificiis, viis, aquaeductu illustratam, S. P. Q. R.*

S. Soter Fundanus e Campania, Papa 13. ab ineunte Majo 168. ad 177.

S. Stephanus I. Rom., Papa 24. ab an. 253. ad 2. Aug. 257. Antiquam Traditionem de non rebaptizandis, ab Haereticis semel baptizatis, servata forma consueta Ecclesiae, strenue asseruit, et retineri jussit contra S. Cyprianum, ceterosque Affricae Episcopos.

Stephanus II. Rom. Papa 93. ab an. 752. qui 4. post dies moritur circa 20. Martii.

Stephanus III. Rom., Papa 94. a 26. Martii 752. ad 24. April. 757.

Stephanus IV. Siculus, Papa 96. a 5. Aug. 768. ad 1. Februarii 772.

Stephanus V. Rom., Papa 99. a 22. Junii 816. ad 24. Januarii 817.

Stephanus VI. Rom., Papa 112. a mense Septemb. 885. ad mensem Septemb. 891.

Stephanus VII. Romanus, Papa 115. ab ineunte Julio 896. ad 897. ante medium Octobris.

Stephanus VIII. Rom., Papa 127., ab an. 929. ad 931., cum sedisset an. 2. mensem 1., dies 15.

Stephanus IX. Germanus, Papa 130. ab an. 939. circa finem Julii ad 942. circa initium Decemb.

Stephanus X., Ducis Lotharingiae filius, et Abbas Cassinensis, Papa 156., C. 3. Aug. 1057., moritur Florentiae cum bono sanctitatis odore 29. Martii 1058.

S. Sylverius Campanus, Papa 59. ab 8. Junii 536. ad 20. Junii 538.

S. Sylvester I. Rom., Papa 34. a 37. Januarii 314. ad 31. Decembris 335. Praefuit per Legatos Con. I. Nicaeno Generali.

Sylvester II. Gallus Aquitanus, Monachus Floriacensis (antea Gerbertus) Papa 144. a 2. Apr. 992. ad 12. Maji 1003. Extant hujus 149. Epistolae, et alia Opera.

S. Symmachus Sardus, Papa 52. a 22. Novemb. 498. ad 19. Julii 414. Excommunicavit Imper. Anastasium, qui rejicere tentabat Calcedonense Concilium. Reliquit 11. Epistolas, et multa Decreta. Ille fuisse di-

ci-

citur, qui jussit cani in Missa in Dominicis, et Festis Sanctorum Martyrum *Gloria in excelsis Deo* .

T.

S. Telesphorus Graecus, Papa 9. ab an. 129. ad 5. Januarii 139.

Theodorus I. Jerosolymitanus, Papa 74. a 24. Novemb. 642. ad 13. Maji 649. Damnavit Petrum, et Paulum Patriarchas CP.; quia Monothelitae erant, et pro Ecclesia Dei cum vigilanter laborasset, piissime obiit.

Theodorus II., Papa 117. an. 898., qui post 20. dies moritur .

V.

Valentinus Rom., Papa 102. an. 827. , qui sub initium Octobris post dies 40. a sua consecratione decessit e vita .

S. Victor I. Afer, Papa 15. ab ineunte Junio 193. ad 28. Julii 201. quando Martyr occubuit sub Severo .

Victor II. Bavarus , Papa 155. a 13. Apr. 1055. ad 28. Julii 1057. In Concilio habito Florentiae multos deposuit Episcopos Simoniacos, et alterum Concilium pro utilitate Ecclesiae tenuit Romae an. mortis suae.

Victor III. Beneventanus, Benedictinus, Papa 160. a 25. Maji 1086. ad 16. Septemb. 1087. Nonnisi precibus importunis adduci potuit, ut Pontificatum susciperet . Habuit

Beneventi Concilium ; et in Monte Cassino mortuus est . Extant hujus Epistolae nonnullae, atque Dialogi.

Vigilius Rom., Papa 60. ab an. 538. ad 20. Januarii 555. Primus hic Antipapa sub Sylvestro in exilium pulso; sed postea legitimus Pontifex, eo defuncto . Concilium V. Gener. tandem approbavit . Imprudenter satis se gessit in Pontificatu.

S. Vitalianus Campanus, Papa 77. a 30. Julii 557. ad 27. Januarii 562. Multa habuit Concilia, et Epistolas nonnullas reliquit.

S. Urbanus I. Rom. , Papa 18. a 21. Octob. 223. ad 25. Maji 230. Sub hoc Pontifice evenit celebre martyrium S. Caeciliae, Tiburtii, et Valeriani; et ipse quoque sub Severo martyrium passus est .

Urbanus II. Gallus Diaec. Rhemensis , Papa 161., Monachus, cui prius nomen Odenes, a 12. Martii 1088. ad 29. Julii 1095.

Urbanus III. Mediolanensis (Lambertus Crivelli) Papa 175. a 1. Decembris 1185., ad 19. Octob. 1187. Sub hoc Pontifice Jerusalem venit in potestate Turcarum, a Saladino capta .

Urbanus IV. Gallus Trecensis (de Troyes en Champagne) Papa 184. a 29. Aug. 1261. ad 1. Octob. 1264. Festum Corporis Christi instituit, et Ord. Caelestinorum approbavit.

Urbanus V. Gallus, Dioec. Mimatensis, (de Meuda, dans le Gevaudan) Benedictinus, Papa 212. a 28. Octob. 1362. ad 19.

O-

Octob. 1380. Sapienter regnavit, sancteque obiit.

Urbanus VI. Neapolitanus Papa 204. a 9. Apr. 1378. ad 15. Octob. 1389. Sub hoc Pontifice magnum incaepit Schisma Occidentale, quod an. ferè 40. duravit, nempè usque ad an. 1417. Festum Visitationis ab hoc Urbano initium habuit..

Urbanus VII. Rom. (Joan. Baptista Castaneo), vir doctus, ac pius, Papa 232. C. 15. Septembris 1590., sed bonam spem de illo conceptam praepropera mors fefellit; nam post 13. dies moritur.

Urbanus VIII. Florentinus (Maffaeus Barberini) Papa 239. a 16. Aug. 1623. ad 29. Julii 1644. Literas et Literatos colebat; cum prudentia, et splendore regnavit, Urbinate Ducatu ditioni S. Sedis adjuncto. Opera varia versu, et prosa reliquit. An. 1641. 4. Martii Librum damnavit Jansenii, cui titulus *Augustinus*.

Z.

S. Zacharias Graecus, Papa 92. a 30. Novemb. 741. ad 14. Martii 752. Pro Disciplinae restauratione, et conservatione nonnulla celebravit Concilia. Extant hujus Decreta varia, Epistolae, et Versio Dialogorum S. Gregorii de Latino in Graecum.

S. Zephyrinus Rom. Papa 16. ab 8. Aug. 202. ad 26. Aug. 219. Epistolae duae, quae ipsi attribuuntur, suppositae judicantur.

S. Zozimus Graecus, Papa 42. a 18. Martii 417. ad 26. Decemb. 418. Hic damnavit Pelagium, et Caelestium. Pelagiani deinde ad futurum Concilium, appellantes, in Concilio Ephesino, celebrato an. 431., nequidem auditi sunt, respondentibus Patribus *causam jamdudum finitam esse*.

Ex his, quos retulimus RR. Pontifices, 76. ut sanctos colit Ecclesia; quorum 33. sub uno et decem Imperatoribus Paganis a Nerone usque ad Maximianum sanguinem fuderunt pro Christo; 4. ab Haereticis postea passi sunt, nempe Felix II., et juxta alios III., Joannes I. Sylverius, et Martinus I.; ceteri 39. Confessores sunt.

Undecim non bonae notae recensentur a Burio. Decem et octo humili loco, et conditione nati. Duodecim, qui in Papatu mensem non expleverunt, quorum unus ipso suae electionis die mortuus est, dictus per aliquot horas Gregorius XI., Gregorii X. Nepos. Octo, qui valde juvenes electi fuerunt, quorum tamen nullus 18. annos in Pontificatu explevit. Ex quibus edocentur mortales, quod praeclarae dignitates vitam non protrahunt, nec summa fastigia mors reveretur.

Ne quis tamen Theologiae Candidatus inde scandalum sumat, unde Dei Providentia magis elucet; dum scilicet legit, aliquot Paparum vitam non sat regularem duxisse: animadvertat, et secum identidem cogitet, nativam hominum conditionem eamdem semper

per esse et ubique: splendidi honores, et sublimiora fastigia vitiatae naturae non remedia sunt, sed potius fomenta, et incentiva ad malum. Id mali permisit Deus (ut unum Judam in Apostolorum Collegio), ut ostenderet, Religionem Christianam non in hominum sanctitate, sed in Dei promissis ita esse fundatam, ut portae Inferi adversus eam numquam sint praevaliturae: etsì enim pauci admodum inter Pontifices à sanctitate gradus desciverunt, fidem tamen orthodoxam semper retinuerunt. Immo in ipsà RR. Pontificum non interrupta serie, et fide intemerata solatium habet, et firmitatem fides nostra. Inquiebat enim Augustinus (lib. contra Epis. Fundamenti, C 4.): *Tenet (me in Ecclesia Catholica) ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum. Tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas Haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes Haeretici se Catholicos dici velint; quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Haereticorum vel Basilicam suam, vel Domum audeat ostendere.*

Tandem animadvertant Tyrones mei, non unam esse apud omnes rationem numerandi Pontifices. Labbaeus namque usque ad Alexandrum VII. inclusive numerat tantum 237., juxta quam supputationem hactenus fuerunt solummodo 248. Papae. Burius

rius enumerat 256., alii plures, alii pauciores: hoc discrimen oritur ex iis, qui commune nomen sortiti sunt Joannis, Felicis, Stephani, Bonifacii, Martini, Benedicti, Sylvestri. Nos autem ex bonis Scriptoribus enumeravimus usque modo 252.

Legitimorum Pontificum seriem excipit Catalogus Antipaparum, qui sic vocantur, vel quia sine Canonica electione Sedem Petri invaserint, vel quia, alio legitimo Papa regnante, eamdem tenere praesumpserint.

CAPUT V.

Catalogus Antipaparum.

1. ANtipapa Novatianus circa an. 251., qui se a tribus Episcopis, quos antea inebriaverat, ordinari fecit, Cathedram Petri tenente S. Cornelio.

2. Felix II., ab Arianis ordinatus an. 355., interim exulante pro fide Nicaena Liberio Papa. Romam redeunte Liberio an. 358., Felix expulsus Roma, ab Arianis tandem martyrium substinuit: quare inter Martyres accensetur 29. Julii, et ab aliquibus inter legitimos Pontifices adnumeratur.

3. Ursinus, seu Ursicinus Diaconus Eccl. Romanae, qui a seditiosis quibusdam electus, et ab uno tantum Episcopo consecratus an. 366., regnante S. Damaso. Hujusmodi schisma illico seditionem excitavit, adeout in Basilica, in qua cum suis se rece-

ceperat, interfecti sunt homines circiter 137., et ipse Ursicinus ab Urbe iterum, atque iterum ignominiose expulsus.

4. Eulalius Eccl. Rom. Archidiaconus, qui a Presbyteris quibusdam, et a multis Laicis 28. Decemb. an. 418., seditione facta, electus est. Sed postridie a 70. Presbyteris, et 9. Episcopis tunc praesentibus, et universa plebe unanimiter, et canonice electus est S. Bonifacius I.

5. Laurentius Archidiaconus Tituli S. Praxedis, contra omne jus eodem die, nempe 22. Novemb. 498., quo S. Symmachus Ecclesiae curam susceperat, qui postea in multis Conciliis legitimus Papa declaratus est contra iniquos, sed inutiles conatus Laurentii.

6. Dioscorus a nonnullis electus eodem tempore, quo Bonifacius II. idest an. 530., sed non multo post schisma extinctum est Dioscori morte.

7. Vigilius, loco S. Sylvestri pro defensione Calcedonensis Concilii interim exulantis, contra omnes aequitatis regulas electus an. 537. In Insula autem Palmaria defuncto S. Sylvestro, Vigilius canonice electus Sedem tenuit, qui postea in alium virum mutatus pro fide Catholica strenue decertavit

8. Joannes Archipresbyter Ecclesiae Rom. electus a Clero, et Petrus Presbyter ab exercitu constitutus an. 686. Sed postea Clerus, exercitu consentiente, Cononem utrique substituit.

9.

9. Paschalis Archidiaconus Eccl. Rom., et Theodorus Archipresbyter, a nonnullis eodem tempore electi an. 687. sed utroque postea rejecto, creatus est S. Sergius Hujus canonicae electioni Theodorus humillime adhaesit. Verum Paschalis adeo pertinaciter restitit, ut, licet depositus, et ob varia crimina carceri mancipatus, in schismate obierit post 5. annos.

10. Theophilactus Archidiaconus, ab aliquibus e Clero, et populo electus eo tempore, quo a majori Cleri, et populi parte Pontifex eligebatur S. Paulus I. an. 757. Schisma autem brevi extinctum fuit.

11. Constantinus Laicus, qui intra septem dies Clericali Tonsura, ceterisque Ordinibus, et Episcopatu insignitus, vi Apostolicam Sedem occupavit, quam integro anno retinuit. Sed postea a populo Romano Sede dejectus, et oculis orbatus, in Monasterio includitur; et in ejus loco Stephanus IV. eligitur an. 768.

12. Zinzinus, qui quaedam suffragia obtinuerat, sed schisma praesentia sua extinxit Lotharius; et Eugenius II. tamquam legitimus Papa agnitus est an. 824.

13. Anastasius III., qui temere insurrexit contra Benedictum III. canonice electum an. 855. sed paulo post a suis derelictus Anastasius, schisma finem accepit.

14. Sergius Presbyter Eccl. Rom., ab aliquibus electus ante Joannem IX., sed antequam consecraretur, Roma expulsus est.

15.

15. Leo VIII. adhuc Laicus electus, an. 963., vivente Joanne XII., qui eum in Concilio deposuit.

16. Bonifacius XII., qui Petri Sedem invasit post mortem Benedicti VI., et Domni II an. 974. Excommunicatus fuit a Benedicto VII. Ipse tamen Bonifacius Joannem XIV fame, aut veneno interfecit an. 985. Tandem ipse circa finem ejusdem anni subita morte periit, ejusque cadaver per plateas ignominiosè tractum, et ictibus confossum, a paucis tandem Clericis sepulturae mandatur.

17. Joannes XVI. Ep. Placentinus, vivente Gregorio V., vi, et artibus Crescentii Consulis intrusus est an. 997. Sed anno sequenti a nobilibus quibusdam eidem abscissis lingua nasoque, oculisque erutis, schismatis poenas dedit.

18. Gregorius contra Benedictum VIII. elatus circa an. 1013. Pontificatum gerere nititur; sed auctoritate Henrici Germaniae Regis, qui Benedictum Romae restituit, pax Ecclesiae brevi reddita est.

19. Sylvester III. Ep. Sabinensis, electus a Romanis an. 1044. post expulsum Benedictum IX., sed post dies 50. Pontificatum ipse dimisit. Benedictus vero novam timens ejectionem, Pontificatum vendidit Joanni Archipresbytero, cui cognomen Gratianus, qui dictus fuit Gregorius VI. Misera quidem Ecclesiae conditio.

20. Benedictus X. Ep. Veliternus armata manu a seditiosis quibusdam intrusus an. 1058.

1058. Sed post 10. menses ad Nicolai II. canonicè electi pedes provolutus veniam petiit, et obtinuit ea lege, ut a Sacerdotali, et Episcopali Ministerio maneret depositus.

21. Honorius II. Caladous, seu Cadoleus Ep. Parmensis, qui post canonicam electionem Alexandri II. factam an. 1061., ab Episcopis nonnullis, et viris nobilibus Basileae Papa renuntiatur. Hinc comparato exercitu Romam petiit; sed bis fugatus Parmam se recepit, et an. 1067. venia a legitimo Papa obtenta, mortuus est.

22. Clemens III. Archiep. Ravennae, Sedem regente S. Gregorio VII., a 30. Episcopis jussu Henrici Imper. convocatis, intrusus est an. 1080., sed a suis, post fugatum exercitum Longobardorum, qui contra Gregorium arma susceperant, relictus est an. 1084., ac tandem, sedente Paschali II., obiit circa an. 1100.

23. Albertus circa annum 1100. successit Clementi III. Antipapae; sed in ipso schismaticae suae electionis die a Catholicis in carcerem conjectus est.

24. Theodoricus eamdem, quam Albertus, sortem subiit, tres circiter menses post suam electionem.

25. Sylvester III. electus circa annum 1102., Roma paulo post pulsus est.

26. Gregorius VIII. Ep. Bracarensis (Braga in Portogallo) auctoritate Henrici V. Imper. intrusus est 1118. Hic a Calixto II. in Monasterio clausus est, et paucos post annos, sedente Honorio II., obiit.

27. Anacletus II. Presbyter Card. Tit. S. Mariae trans Tiberim, electus a Cardinalibus quibusdam an. 1130., qui ut adversus Innocentium II. schisma faceret, thesauros, et sacra vasa praecipuarum Romae Ecclesiarum furto substulit. Obiit an. 1138.

28. Victor IV. successit Anacleto II., an. 1138. sed post duos menses a suis derelictus Innocentio II. obedientiam praestitit.

29. Alter Victor IV., auctoritate Friderici Imper. a tribus tantum Cardinalibus electus an. 1159. Fuit hic Alexandro III. Papae infensissimus, quandiù vixit, nempe usque ad an. 1164., in quo 22. April. vitam finivit.

30. Paschalis III., Card. Cremensis, a schismaticis Victori IV. suffectus 1. Aug. 1167. Fridericum Imper. coronavit Romae, ubi an. sequenti mortuus est 20. Septemb.

31. Calixtus II. designatus Ep. Albanensis, successit Paschali III. Reconciliato autem Friderico cum Alexandro III., Calixtus veniam petiit, et obtinuit an. 1178.

32. Innocentius III. a schismaticis quibusdam substitutus Calixto III. Sed jussu Alexandri III. Papae comprehensus, et carceri mancipatus, diuturnum, dirumque schisma finem tandem accepit.

33. Nicolaus V. (antea Petrus de Corbario Franciscanus) vivente Joanne XXII., intrusus an. 1328. Post biennium Papae Joanni traditus, et ab eo benignè exceptus, petitam obtinuit benedictionem. Ab ipso tamen

men in Palatio Papae Avenione incarceratus est, ubi decessit mense Septemb. 1333.

34. Clemens VII. Cardinalis Genevensis dictus, sedente Urbano VII., electus est a Cardinalibus Gallis 20. Septemb. 1378. Obiit Avenione, regnante Bonifacio IX. Papa, quo tempore a multis ut legitimus Pontifex agnitus est.

35. Benedictus XIII. Card. Aragoniae (Petrus de Luna) electus 28. Septemb. 1394. Successit Clementi VII., hinc depositus a Concilio Constantiensi an. 1417., in schismate pertinax vixit ultra annos 30., et 6. Pontificibus, et duobus Conciliis Pisano, et Constantiensi semper infensus. Moritur 17. Novemb. 1424.

36. Clemens VIII., Canonicus Barcinonensis, successit Benedicto XIII. an. 1425. a tribus Cardinalibus electus mense Junio.

37. Benedictus XIV. simoniacè electus 26. Junii an. 1426. ab uno Cardinali, qui Clementis VII. canonicae Electioni non interfuerat; sed a suis brevi derelictus, Martino V. legitimo Papae se subjecit, et Majoricensem Episcopatum obtinuit.

38. Felix V, (Amadaeus a Sabaudia) electus a Con. Basileensi tunc schismatico 30. Octob. 1430. a Cardinali Arelatensi, et coronatus Basileae 24. Julii 1440. Hic autem Nicolao V. se subjecit, a quo benigne exceptus, Purpura, Episcopatu Sabinensi, et Decanatu sacrii Collegii donatus est.

CA-

CAPUT VI.

Catalogus Haereticorum, et Haeresum per saecula dispositus.

SAECULO I.

JAm praedixerat Apostolus, futuras haereses in Ecclesia Dei, ut cantradictione veritatis probarentur, et manifestarentur electi. Primus itaque omnium, qui contra veritates Christi insurrexerit, fuit Samaritanus quidam, nomine Simon, professione Magus, qui a B. Petro Apostolo ad fidem conversus, et baptizatus, paulo post a fide ipsa deficiens, deliria confecit, et errores multos effudit. Nam.

1. *Se jactat, totam esse Trinitatem, unum Deum in natura, qui ut Pater apparuit in Samaria, in Judea ut Filius, in Gentibus ut Spiritus Sanctus; sicque in se tantum, et in Helena sua habendam esse spem salutis.*

2. *Donum Dei potest pecunia possideri.*

3. *Mundus non est creatus a Deo, sed ab Angelis.*

4. *Homo non est liberii arbitrii.*

5. *Non sunt necessaria ad salutem bona opera, sed sufficit fides.*

6. *Non est futura corporum resurrectio.*

7. *Anima sransit de uno corpore ad aliud corpus.*

Menander et ipse Samaritanus, dignusque

que Simonis discipulus, qui Antiochiae haec sparsit dogmata.

1. *Mundum non esse conditum a Deo, sed ab Angelis.*

2. *Perpetuam in hac vita immunitatem a senio, et a morte dandam esse illis, qui tincti essent lavacro Baptismatis a se collati.*

Saturninus Menandri sectator, sed patria Antiochenus, haec docuit in Syria.

1. *Mundum fuisse creatum a septem Angelis.*

2. *Christum umbratili dumtaxat in carne apparuisse.*

3. *Nubere, et generare esse a Satana.*

Basilides, patria et ipse Alexandrinus, Saturnini condiscipulus, et Menandri auditor. Gloriabatur, se Glauciam habuisse praeceptorem, interpretem Apostoli Petri (ex Clemente Alex. l. 7. Stromatum). Hic in Aegyptum deportatus, ibi suae effudit venena haereseos, nempe ultra Simonis, Menandri, et Saturnini deliria se extendens, ea majoribus ornavit commentis. Ridicula autem non minus, quam longa est genealogia, quam texit Deorum, et Angelorum, mundi, coelorumque fabricatorum; adeout Angelorum propagationem usque ad 365. Ordines extendat. Ajebat namque: *Nus* ab innato natus est Patre, qui vocatur *Abraxas*; a *Nu* prodiit *Logos*, a Logo *Phronesis*, a Phronesi *Sophia* et *Dinamis*, ab his fluxerunt *Virtutes*, *Principes*, et *Angeli primi*, ab his alii, et alii successive usque ad ordines

dines dictos. *Ingenitus Pater* misericordia commotus erga hominum miseriam, misit *Nun* primogenitum suum (hic est Christus), ut in eum credentes a potestate Angelorum mundi hujus conditorum erueret. Ceterum Basilides asserebat, Christum specie tenus mortalibus apparuisse, hominem non extitisse revera, neque passum, neque crucifixum, sed in ejus locum Simonem Cyrenaeum, cui formam suam tradiderat, fuisse crucifixum: adeoque, ajebat, non credendum in eum, qui sit crucifixus, ne quis confiteatur, in Simonem se habere fidem. Quis non isthaec irrideat excogitata deliria?

Hymenaeus, et Philetus odio inflammati adversus Paulum veram corporum resurrectionem praedicantem ubique, hanc ipsam corporalem resurrectionem inficiati sunt, nec aliam praedicabant esse resurrectionem, quam *spiritualem*, quae consistit in excitatione a morte peccati ad vitam gratiae, a tenebris erroris, et infidelitatis ad lumen veritatis et fidei. De his loquitur Apostolus 2. ad Timot. C. 2.

Nicolaitae a Nicolao patria Antiocheno, uno ex 7. Diaconibus ab Apostolis consitutis, sic dicti, docebant:

1. *Licitum esse promiscuum foeminarum usum.*

2. *Initio tenebras, ac voraginem fuisse, et aquam, a Spiritu deinde secretas. Verum tenebras contra Spiritum commotas sursum excurrisse, et cum eo fuisse congressus; et*

ex

ex hoc consortio prodiisse Matricem quamdam, quae rursus spiritui juncta quatuor peperit Aeones; hi quatuor alios procrearunt, dexteram et sinistram, lucem et tenebras. Ex his vero genitus est turpis Aeon, ex cujus cum praefuta Matrice consortio ortum habuerunt Dii, Angeli, homines, et septem Daemoniorum spiritus. Mirum, quod tam fabulosa portenta ab humano intellectu prodire potuerint!

Num vero hujus sectae auctor fuerit Nicolaus Diaconus, exploratum satis non est. Asserunt nonnulli ex antiquis; sed alii plurimi ab hac labe immunem faciunt Nicolaum. Quos inter habes S. Ignatium in Epis. ad Trallenses, Clementem Alexand. l. 2 et 3. Stromatum, Eusebium lib. 3. hist. Eccles. C. 29. Theodoretum lib. 3. Haereticarum fabularum, C. 23. Victorinum Petabionensem Comment. in Apocalypsim, Baronium etc., cum quibus sunt castigatiores Critici recentiores.

Cerinthus Philosophus, qui frequenter Hierosolymis, Caesareae, et Antiochiae Apostolis restitit, hanc virulentam doctrinam effudit in Asia.

1. *Beatitudo consistit in carnis deliciis.* Ex quo dogmate conficiebat, post resurrectionem Regnum Christi terrestre futurum in omnibus carnis, et voluptatum illecebris, donec consumentur mille anni: quare Cerinthi sectatores dicti sunt *Chiliastae*, hoc est *Millenarii*.

2. Le-

2. *Legalia sunt observanda cum Lege nova, ut quis salutem consequatur*.

3. *Christus est purus homo*.

Ebion invidia ductus erga Paulum, praeter calumnias, et maledicta, quae ipsi impegit, ut Judaeorum animos ab eo audiendo averteret, docuit cum Cerintho: 1. *Necessariam ad salutem legalium observantiam*. 2. *Christum fuisse conceptum ex semine virili*.

SÆCULI II.

Helceseitae, quorum auctor fuit Elxai Pseudo-propheta Judaeus, docebant, heu blasphemia! 1. *Spiritum Sanctum sexu esse foeminam, et Christi sororem*, et utrique portentosam corporis molem affigebant.

2. *Non esse peccatum ore negare fidem, dummodo quis corde in fide permaneat*. Hinc libellos a Magistratibus Ethnicis numerata pecunia obtinebant, quibus fides faciebatur, ipsos Caesaris Edictis paruisse de cultu Idolorum, quae tamen non colebant; sicque etiam Libellatici dicti sunt.

Circumferebant autem librum, quem jactabant e Coelo missum, cujus doctrinae credentes remissionem consequebantur peccatorum ab illa diversam, quae datur per Jesum Christum.

Gnostici, quorum Auctor fuit impudicus quidam Alexandrinus, nomine Carpocras. Unum de istis scire ob pudorem sufficiat, nullam fuisse turpitudinem, nullum-

 que

que modum libidinis explendae imaginationi pervium, quo se non coinquinarent. Horum praecipua dogmata haec sunt:

1. *Licita est omnis luxuria.*

2. *Christus non est natus de Maria, sed per Mariam ostensus.*

3. *Martyrium non est sanctum, sed actus virtutis.*

4. *Non est futurum Judicium extremum.*

5. *Non sunt admittendae Traditiones.*

Prodicus e Schola Gnosticorum auctor fuit adamiticae Sectae. Hic aliud non fecit, quam inverecundae Gnosticorum libidini addere inverecundiora, quae referre pudet. Dicti autem sunt Adamitae, quia eorum conventicula, seu Ecclesias Paradisi nomine, primo simillimi, a quo pulsus est Adam, condecorabant.

Antitactae ex eadem Gnosticorum colluvie docebant:

1. *Nuditatem Adae in statu innocentiae imitandam esse.*

2. *Peccatum non esse supplicio, sed praemio dignum.*

Cerdon, qui *duos introduxit Deos, unum bonum, alterum malum,* et item Incarnationem Christi negavit.

Marcion ex Urbe Synope in Ponto, cujus hi fuerunt errores palmares:

1. *Conjugia sunt illicita.*

2. *Non est futura corporum resurrectio.*

3. *Lex vetus fuit mala.*

Solum Evangelium Lucae, et hoc detru-

truncatum, recipiebat, ceteris rejectis.

Apelles Marcionis discipulus, praeter errores Magistri sui finxit, quod

1. *Filius Dei e Coelo descendens carnem sibi contexuerit aeream, eamque in ascensu singulis reddiderit elementis.*

2. Docuit, *Prophetias esse falsas.*

Valentinus Aegyptius, praeter Aeonas suos a Nicolaitis deprompros, sentiebat,

Christum Dominum Corpus de Coelo detulisse, nec quidquam de Virgine sumpsisse, sed per eam, quasi aquam per aquaeductum, transiisse.

Ex Valentino prodierunt Cainani, Ophitae, Sethiani. Cainani dicebat Cainum a potentiori quadam virtute esse derivatum, sicut et Core, Dathan, et Abiron, Sodomitas, ac etiam Judam Iscariotem: qua de re impios illos homines divino colebant honore. Et Evangelium vulgabant sub ejusdem Judae nomine.

Ophitae Christum in serpentis formam transformabant, et hunc ipsum serpentem fuisse, qui Adamum, et Evam decepit; propterea que serpentem adorabant, et in pane a serpentis contactu sanctificato conficiebant Eucharistiam, quam populo tradebant.

Sethiani fabulam hanc procuderunt: duos homines dicebant ab Angelis creatos, Cain et Abel; quod contentionis magnae causa fuit inter Angelos. Eapropter ab illa virtute, quae est super omnes, et quam ipsi *Matrem* appellabant, Abele, interfecto,

factum est, ut ejus loco conciperetur Seth purum semen, et hunc Seth, dicunt Sethiani, esse Christum, illumque ut talem ab omnibus adorandum praedicabant.

Ex eadem Valentini Schola emanarunt Ptolomaeus, Archontici, Florinus, et Blastus. Singularis Ptolomaei error hic erat: *Deum impossibilia praecipere*. Florini: *Deum esse auctorem peccati*. Blasti: *Pascha celebrandum esse more Judaeorum luna* 14. *mensis primi*.

Archontici Sacramenta omnia rejiciebant, dicentes: *Non oportet esse divina Mysteria, quae sunt invisibilium signa, nec incorporalia per visibilia, et corporalia esse communicanda*.

Tatianus natione Syrus, S. Justini Martyris discipulus, Auctor fuit Sectae *Encratitarum*. Encratitae, hoc est continentes, Nuptias detestabantur, abstinebant a vino, quo tantum, ajebant, improbi utuntur.

Ex hoc error alter consequebatur, nempe, *solam aquam offerendam esse in sacrificio Altaris*.

Severus Tatiani errores amplexus, nec istis contentus, Epistolas Pauli, et Acta Apostolorum rejecit, et sacrarum Scripturarum sensus, et sententias pro arbitratu interpretabatur; sic tot ante saecula viam demonstrans Sectariis nostris idipsum factitantibus.

Montanus in Mysia Phrigiae natus, ex quo Montanistae, duabus ad id mulieribus a Doemone exagitatis adhibitis, Priscilla, et Maximilla, haec docuit:

1. *Promissionem Domini de dando Spiritu Sancto Paraclito, non fuisse completam in Apostolis, sed in Montano et Priscilla.*

2. Damnabat *secundas Nuptias tamquam scortationes*.

3. Ajebat, *numquam licere persecutionis tempore fugere Martyrium*.

4. Docebat: *numquam a fortiori, licet illud fugere Episcopis vel Pastoribus in iisdem circumstantiis*.

5. Statuebat, *tamquam ad salutem necessarias tres Quadragesimas*.

Ex Montani haeresi varii pullularunt surculi, nempè Cataphryges, Artotyritae, Pepuziani, Ascodrogitae, Patalorinchitae. Cataphryges ex sanguine infantis, quem ex toto ejus corpore levibus punctionum vulneribus extrahebant, suam conficiebant Eucharistiam, eum cum farina miscentes, et panem inde conflantes. Si infans ex punctionibus moriebatur, eum ut Martyrem colebant: si superstes foret, erat pro magno Sacerdote. Horum celebrior fuit quidam Proclus vir disertissimus, qui coram Zephyrino Pontifice disputationem habuit. Hic inter alia docuit: *Concupiscentiam esse peccatum*. Artotyritae ita sunt appellati, quia *in Sacramento Eucharistiae panem, et caseum offerebant*. Pepuziani a Pepuza Phrygiae Vico, quem incolebant, mulieres ad Presbyteratum, et Episcopatum evehebant; docentes, *illas esse istorum graduum capaces, nec ullum sexus habendum esse discrimen*. Ascodrogitae se jactantes Mon-

Montani spiritu instructos, insanis mentibus instar bacchantium furentes agebantur. Hinc utrem novo vino juxta Altare implebant, et linteolis tectum choreis dissolutioribus operam dantes circuibant, dicentes, se esse utres novos, de quibus Christus Matth. 9. *Vinum novum in utres mittunt, et ambo conservantur*. Patalorinchitae sic dicti, quod superstitiose naribus, vel ori palum, aut huius defectu digitum apponerent, ut ita strictius silentium servarent. *Pattalos* namque palum significat, et *Rhyncos*, rostrum, et pro naso usurpatur. O ridicula insanorum turba!

Theodotus patria Bisantinus, arte Coriarius, impie sensit cum Cerintho, et Ebione *Christum esse purum, et merum hominem*. Cui se adjungens alter Theodotus argentarius, ejus errori addidit, *Melchisedech esse ipsum Christum, cum Melchisedech sit sine Patre, et Matre*, immo *Christo majorem*, eo versu Davidis abusus: *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*. Hinc Melchisedechiani appellati ejus sectatores.

Patripassiani, quorum caput fuit Praxeas Montanista, docebant cum magistro suo: *Deum Patrem Omnipotentem esse Jesum Christum, illumque crucifixum, passum, et mortuum; praeterea seipsum sibi sedere ad dexterum Patris*.

Hermogenes ex Christiano factus Stoicus Philosophus docuit, *materiam esse Deo coaeternam*. Hujus sectator Seleucus negavit, *Salvatorem in carne sedere ad dexteram Patris*, di-

dicens, *quod carnem in sole posuerit* .

SAECULI III.

Primus in hoc saeculo sese offert Septimius Florens Tertullianus Carthaginensis, qui ex Gentilitate ad fidem Christi conversus, eruditione, ac pietate per multos annos nulli fortè secundus. Omnium ferme praecedentium Haereticorum errores presso, ac veluti fulmineo calamo jam confutaverat, et multa jam ad pietatem spectantia erudite conscripserat: quando lacrymabili casu et ipse in haeresim Montanistarum lapsus est. Praeter istorum errores haec sunt privata ipsius dogmata:

1. *Anima rationalis fit ex traduce, seu traducitur, vel generatur a parentibus.*

2. *Deus est corporeus.*

Arabici ex Arabia sic dicti, quorum antesignanus fuit Arabs quidam nomine Valens, docebant: *Animas hominum una cum corporibus extingui, sed postmodum in resurrectione simul cum corporibus resurrecturas.* Hi quotquot obvios habebant, si viribus praevalebant, mutilabant, hoc est iisdem virilia abscindebant, dicentes: *Non posse obtineri salutem, nisi membra, quae offensioni sunt, et in quibus regnat concupiscentia, abjicerentur.*

Origenes Alexandrinus, Leonidis M. filius, fuit vir utique summi ingenii, et eruditionis eximiae, pietate conspicuus: uno verbo dicam, fuit Origenes tamquam sui tem-

temporis oraculum, ad quem ex omnibus mundi partibus discipuli confluebant, nec minus apud summos Imperatores consecutus est aestimationis, honoris, auctoritatis. Ast, proh dolor! Origenes tandem in errores plurimos prolapsus est miserrime, qui ad haec capita revocantur:

1. *Animae humanae ejusdem naturae sunt cum spiritibus coelestibus.*

2. *Animae humanae, quemadmodum Spiritus, mundi corporalis creationi praeexistunt.*

3. *Omnes illae animae simul creatae sunt; sed propter peccata sua in corpus, veluti in carcerem, detruduntur.*

4. *Anima Christi ab initio ante corporales creaturas, cum omnibus aliis spiritibus creatis creata est, et a Verbo Dei assumpta, et demum circa finem saeculorum pro salute hominum carnem fuit induta.*

5. *Beatitudo potest amitti.*

6. *Damnatio Daemonum, et impiorum aliquando finem habitura est.*

Novatus Presbyter Carthaginensis, cum se Romae Novatiano conjunxisset, una simul monstruosos condiderunt errores. Haec autem sunt utriusque dogmata:

1. *Post primam poenitentiam, quae agitur Baptismo, peccans non potest iterato per poenitentiam restitui.*

2. *Non datur Sacramentum Confirmationis.*

Novatianus hic est ille ambitiosus Presbyter, qui primum Romanam Ecclesiam diro proscidit schismate, cum se in Pontificem

cem erexisset; vivente S. Cornelio. Et adeo fuit in schismate sacrilegus, ut in distributione Eucharistiae hoc a suis extorqueret juramentum: *Jura mihi per Corpus, et Sanguinem D. N. J. C. te numquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium reversurum.*

Rebaptizantes, quorum Auctor fuit Agrippinus quidam S. Cypriani decessor, qui tamen pietatis causa ita sensit, quia apud Haereticos omnia profana sunt, ac detestabilia. Cito hic error ex Affrica in Asiam transmeavit, multosque magni nominis viros, et sanctitate praeclaros invenit propugnatores, Firmilianum praesertim Ep. Caesareae in Cappadocia; S. Dionysium Alexandrinum, ac prae ceteris S. Cyprianum, qui in tribus Conciliis cum plurimorum Episcoporum interventu Carthagine habitis, rem definitam fecit, nempe, *redeuntes ab haeresi iterum esse rebaptizandos*. Sed firmiter restitit S. Stephanus Papa, respondens: *servandam esse Traditionem*, quae docet, *validum esse Haereticorum Baptisma*. Sicque error finitus est.

Apostolici, Encratitarum germen, qui se hoc nomine appellarunt ob exactum disciplinae studium, et ob renunciationem a conjugiis, bonorumque possessionibus. Et in hoc sunt Haeretici, quia docebant: *Nullam iis esse spem salutis, qui possident divitias.*

Noetus Smyrnensis Patripassianorum haeresis acerrimus propugnator. In tantum fastum hic venerat, ut auderet se *Moysem*, et fratrem suum *Aaron* asserere. Noetus cum

suis

suis de Ecclesia ejectus, et paulo post cum fratre suo mortuus fuisset, nullus fidelium, nequidem ex consanguineis, inventus est, qui eorum corpora sepulturae tradere voluisset.

Sabelliani a Sabellio Ptolemaide in Lydia nato. Hic fuit Sabellii pestilentissimus error: negabat *Personarum in Trinitate distinctionem*, dicens, *eas tantum esse tria unius Dei nomina, ad insinuandos diversos Divinitatis effectus composita*. Unde cum unam tantum profiteretur personam: consequens erat, ut, sicut Filius, ita et Pater, et Spiritus Sanctus incarnati, et passi dicerentur.

Paulus Samosatenus (vir quidem omni sceleritate repletus) Antistes Antiochenus, turpiter erravit circa Christi Divinitatem, confingens *Divinitatem in Christo non per naturam, sed per quamdam excellentem gloriae participationem, quam per bona opera meruerat*. Quare a Patribus secundae Synodi damnatus est, anathemate percussus, et Episcopatu privatus.

Manichaei, quorum execrabilis Sectae artifex fuit Saracenus quidam, in Arabia enutritus, nomine Scytianus. Hic itaque primus condidit dogma *de duobus principiis, malo et bono*. Ad haeresim suam firmandam, quatuor composuit libros, unum *Mysteriorum*, alterum *Capitulorum*, tertium appellavit *Evangelium*, ultimum *Thesaurorum*. Sed paulo post Deo vindice, ex alto tecto, ubi praestigiis operam dabat, lapsus in praeceps cum mi-

miserrime interiisset, haeredem habuit Terebinthum quemdam, qui postea se Buddum vocavit, sed eamdem mortem, quam Magister suus, citius oppetiit. Huic Manes successit, a quo proprie Manichaei nomen mutuantur; qui item post multos infelices eventus misere periit; nam vivus excoriatus est a Sapore Rege Persarum, cui promiserat aegrotantem filium illico sanaturum, dum impostoris inter manus filius expirat. Attamen haec Secta longe lateque diffusa est, et totum ferme mundum infecit. Haec autem erant Manetis placita:

1. Duos admittebat Deos, seu *duo principia*, *unum bonorum*, *alterum malorum*.

2. *Corporalia* condita esse dicebat, *a malo principio*, proindeque *carnem nostram esse de se malam*. Quare hoc bellum exercebant Manichaei adversus carnem, ut eam continuis afficerent libidinosis immunditiis.

3. Licet ad id mulieribus uterentur, omnem tamen generationem vitabant: unde et *Nuptias* reprobabant.

4. Hinc inficiebantur, *Christum humanam sumpsisse naturam*; sed tantum, dicebant, *eum in corpore apparuisse phantastico*.

5. Ex quo caro mala sit; hinc Manes docebat, *nefas esse occidere animalia in usus hominum*: quare discipulis suis praecipiebat a carnibus abstinentiam.

6. Admittebat Manes *transmigrationem de uno corpore in aliud*

7. *Legem veterem fuisse malam*, tradebat.

8. Duas naturas admittebant Manichaei in homine, *bonam* determinatam *ad bonum ex bono principio*; *malam*, *ad malum* determinatam *ex malo principio*. Ex quo deducebant, hominem *nullo modo habere libertatem*; sed eum omnia, *sive bona*, *sive mala ex necessitate naturae operari*, a principio vel *boni*, vel *mali* determinatum.

In fine tamdem hujus saeculi extitit quidam Aegyptius, nomine Hierax, vir liberalium artium, et linguarum peritia clarissimus, qui inter alia, haec propugnabat dogmata:

1. *Paradisus non est locus sensibilis, sed corporeus.*

2. *Melchisedech est Spiritus Sanctus.*

Severioris vitae disciplinam callide affectantes hujus Sectae discipuli, a carnibus, et vino, quemadmodum Manichaei, abstinebant: unde *Abstinentes* nuncupati sunt.

SÆCULI IV.

Donatistae a Donato a Casis Nigris in Numidia Episcopo, cui tamen cum aliis praeluserat Lucilla quaedam mulier Hispana praedives, et fastosa, originem trahunt. Hi sub initio Schismatici fuerunt, sed schisma cito in haeresim evasit. Praecipui errores Donatistarum sunt:

1. *Ecclesia est tantum in ea parte Affricae quae adhaeret Donato, itaut alibi terrarum perierit.*

2.

2. *Intra Ecclesiam non sunt boni et mali, sed soli boni*. Quales se esse judicabant Donatistae.

3. *Baptismus extra Ecclesiam collatus, nullus est*.

Praeter istos errores Donatistae furore horribili ferebantur contra Catholicos, nedum vivos, sed etiam mortuos. Sacra omnia indignissime tractabant, Eucharistiam canibus projiciebant, sanctum Chrisma effundebant, sacros Calices frangebant, Altaria evertere solebant, vel sacrilege violabant, ut eos graviter exprobrat S. Optatus Milevitanus (Lib. 6. contra Donatistas, pag. 95., et 99.).

Circumcelliones in Affrica pariter oborti, ita dicti, quia per nundinas, villas, vicos, domosque circumvagantes, jactabant se esse publicae justitiae Judices: quare Magistratibus resistere audebant, servos ponebant in libertatem, aere alieno gravatos e creditorum potestate eruebant. Spe insana martyrii seipsos necabant praecipitio, aqua, igne, aliisque modis: quare hoc erat praecipuum eorum dogma:

Licitum est seipsum occidere, ut quis coronam Martyrii accipiat.

Ariani ab Ario, ex Lybia oriundo, Ægypto vicina, teste S. Epiphanio, originem recognoscunt. Arius ab initio Meletio Leopolis Antistiti schismatico comitem se adjunxit; schismati in speciem renuntians a S. Petro Alexandriae Ep. Diaconus ordinatus

est

est, a quo postea ob communionem cum Meletio de Ecclesia pulsus est. Post S. Petri martyrium, ab Achilla Petri successore in communionem Arius receptus est, et Presbyter ordinatus. Post mortem Achillae aegre ferens sibi ad Episcopatum Alexandrinum praeferri S. Alexandrum, invidia ductus, conceptum venenum eructare caepit, spargens in vulgus hoc de Filio impium dogma:

Erat aliquando, quando non erat. Genitus non ex substantia Patris. Ex tempore, non ab aeterno; haudquaquam Deus verus de Deo vero., sed ex nihilo creatus, et minor Patre. Nescio quo fato, tam palmaris error tantam fidem invenerit, ut cito 700. Virgines Deo sacras, 7. Presbyteros, 12. Diaconos, Episcopos duos pestilenter infecerit; quos omnes S. Alexander, coacta Synodo ex Lybia, et Ægypto 100. Episcoporum, anathemate feriit. Inde alio deportatus Arius, ad suam partem traxit Eusebium Nicomediensem Episcopum, ipsamque Constantiam Augustam Constantini sororem, sub cujus patrocinio tutus, innumeris sane calamitatibus afflixit Ecclesiam; etiam postquam error ipsius solemniter damnatus fuit in Concilio Nicaeno.

Aeriani sic dicti ab Aerio, qui cum Presbyter esset, Episcopatum ambiebat; quod cum obtinere non posset, purum Arianismum sectatus est, cui de suo erronea alia addidit dogmata. Docuit namque *aequalitatem Presbyterorum cum Episcopis, et inutilitatem precum, et sacrificiorum pro defunctis.*

Eunomiani ab Eunomio Arii discipulo, Ep. Cyzicensi ordinato ab Eudoxio Ariano, apud quem se recepit Constantinopolim, a civibus suis ejectus ob summam in dicendo impietatem. Docuit cum Simone Mago:

1. *Solam fidem necessariam esse ad salutem.*

2. Licet totus esset in carnis spurcitiis devolutus, se tamen jactabat supra coeli cardines ambulare, dicens: *Ab homine posse Deum comprehendi: cum ipse tam perfecte Deum cognosceret, sicut Deus cognoscit seipsum.*

3. *Ab intellectu creato*, asseruit, *posse a fortiori Deum naturaliter videri.*

4. Dicebat, *Apostolos, sicut ceteros homines, in errorem lapsos fuisse.*

5. Praedicabat, *Filium sic esse in Patre, ut vas minus in majori.*

Theophronius Cappadox primum Eunomii sectator; deinde Agnoitarum Pater, tradidit, *Scientiam Dei esse variabilem.*

Eustathius ex Ariana colluvie Sebastae in Armenia Ep. Eustathianis Haereticis nomen dedit. Nuptias damnabat cum Saturnino, et conjugatis spem omnem aeternae salutis adimebat: quare factum est, ut plurimi conjuges vincula Matrimonii dissolverent. Singularis autem error ipsius erat: *Jejunandum die Dominico, reliqua vero jejunia ab Ecclesia servari solita, esse dissolvenda.*

Audianorum, seu Antropomorphitarum Auctor fuit Audaeus ex Mosopotamia oriundus, qui docuit, *Deum humana praeditum esse forma, seu figura.*

Photinus ex urbe Ancyra in Galatia, Syrmiensis Ep. (Syrmium inferioris Hungariae civitas) hunc cudit errorem:

In Christo sola fuit natura humana ; divina vero non per naturam, sed per quamdam excellentem gratiam adoptionis, quam per bona opera meruerat.

Macedonius Arianus novam commentus est haeresim, asserens, *Spiritum Sanctum non esse Deum.*

Uterque Apollinaris Pater, et Filius Apollinaristarum condidit haeresim. Apollinaris errores sunt qui sequuntur:

1. *Verbum assumpsit solam carnem, non vero animam, itaut Verbum fuerit carni loco animae.*

2. *Verbum non assumpsit intellectum, seu mentem; sed iterum Verbum fuit loco ejus.* Etiam Chiliastarum renovavit errores.

S. Papias Ep. Hieropolitanus, et Martyr, (ex Cap. 20. Apocalypsis mala intellectione deceptus) sustinuit:

Christum mille annis hic in terra cum sanctis post resurrectionem regnaturum. In quam sententiam multos attraxit percelebres viros, quos inter S. Irenaeum, et S. Justinum. Hoc tamen erat inter Cerinthi, et Papiae placitum, discrimen, quod ille in carnalibus voluptatibus, iste in spiritualibus deliciis, quae Sanctorum populum, et Dei amicos decent, constituebat.

Porro hic error in praefatis Patribus non fuit haeresis, cum de hac re nihil tunc certi

ti statuisset Ecclesia. Et licet Papias decesserit sub initio Saec. 2., hìc retulimus, quia hoc saeculo S. Damasus Papa sententiam de millenariis, quam Apollinaris instaurabat, ut *haereticam* damnavit.

Messaliani in Mesopotamia docebant *semper esse orandum*, unde etiam *Euchitae*, seu Precatores dicti sunt. Nullum isti habebant jejunium, nullum servabant praeceptum, *sed solam orationem ad salutem sufficere* cogitabant. Hinc ex primo errore conficiebant, se per *juge orationis exercitium capaces esse sanctissimam oculis corporeis videndi Trinitatem*.

Collyridiani exorti in Arabia Virginem Deiparam *ut Deum* colebant, et in ejus nomine collyridem, hoc est placentam panis per mulieres *in sacrificium* offerebant. Quandoquidem apud istos, ut apud Peputianos, sacerdotalia munia mulieres obibant; imo ferme istae tantum.

Nudipedes, de quibus meminit Augustinus, hoc ipso saeculo docuerunt, *nudis pedibus Christianis omnibus semper esse incedendum*.

Priscillianistae ex Secta Gnosticorum a Priscilliano nobili Hispano, decepto prius a quodam Marco Aegyptio exorti, hunc capitalem errorem docebant: *Licitum esse mendacium, etiam juncto perjurio*. Hinc Augustinus, ut errorem refelleret, librum scripsit adversus mendacium, ubi ait Cap. 70. Priscillia-

nistis ad suas occultandas turpitudines communem fuisse versum illum:

Jura, perjura, secretum prodere noli.

Helvidius hanc blasphemiam praedicavit contra perpetuam Sanctissimae Deiparae Virginitatem, nempe: *Ipsam non fuisse Virginem post partum*, et post Jesum alios accepisse ex Josepho filios.

Jovinianus ex Monasterio Mediolanensi egressus docuit:

1. *Virginitatem non esse matrimonio praeferendam.*

2. *Omnia peccata esse paria, seu aequalia.*

Rhetorius ut uno omnes complecteretur errores, ausus est praedicare: *Quemlibet posse salvari in sua fide:* quare sustinebat, *omnes Haereticos rectè ambulare*. Et en Latitudinariorum, seu Indifferentistarum Secta, quae tam hodie communis est in mundo.

Paterniani *inferiores corporis humani partes non a Deo, sed a diabolo factas esse* sentiebant: ideoque eas cum Manichaeis impudicitiis agebant.

SAECULI V.

Vigilantius Presbyter Hispanus incredibili, qua fervebat, ambitione, hos ingenio suo cudit errores:

1. *Sanctos pro nobis non orare, adeoque frustra a nobis invocari.*

2. *Sacras Reliquias nullo colendas esse honore.*

3.

3. *Aequè perfectos esse, qui possident divitias, ac alios, qui paupertatem voluntariam profitentur.*

Vincentius Victor in Affrica de animarum origine monstruosum invenit dogma, adstruens, *illas non de nihilo, sed de divina creatas esse substantia*. Sed citò errorem detestatus, ad rectam fidem rediit.

Abeliani in Affrica item nati ex Abele quodam Virgine. Judicabant licita quidem Matrimonia, sed *copula carnalis illicita*; quare si matrimonia contrahebant, ab ea se abstinebant, et puerum et puellam adoptabant, sub ejusdem Matrimonii, et conditionis pacto successores suos futuros. Sed circa tempora Augustini ad saniorem isti mentem redierunt.

Theodorus Mopsuestenus Ep. hunc peculiarem errorem evulgavit, *in veteri Testamento nihil propriè dici de Christo*.

Pelagius Britannus una cum *Caelestio*, uterque versipellis, et arte fallendi versatissimus, simulque ingenii acumine praeditus, totum gratiae negotium, et oeconomiam evertere conatus est. Fundamentale istorum dogma hoc erat:

Solam posse naturam peccata fugere, Legem servare, quaecumque virtutum opera exercere, aeternamque consequi salutem. Insuper et peccati originalis existentiam negabant. Istorum haeresis variis in Conciliis Particularibus sub ipso ortu damnata, tandem solemniter proscripta est in Ephesino Genera-

li III. Ad hos refellendos integrum Librum scripsit Augustinus, cui titulus: *De Natura, et Gratia*.

Semi-pelagiani, qui et Massilienses dicti sunt ab urbe Massilia, quam incolebant, in eo praesertim errabant, quod *gratiae interioris necessitatem ad initium fidei, seu salutis negabant*, volentes, *initium fidei, et bonae voluntatis esse a nobis*. Errabant etiam circa perseverantiam in gratia, docentes: *Libero arbitrio adscribendum esse, quod unus prae alio finaliter perseveret*. Hos refellit S. Augustinus Libris: *De Praedestinatione Sanctorum*, et *de Perseverantiae Dono*.

Nestorius Germanicae, quae est Syriae Oppidum, natus, professione Monachus, ac deinde opera Theodosii junioris Imper. CP. Patriarcha, contra Christum, et Virginem Dei matrem hos eructavit pestilentes errores:

1. Asseruit, *duplicem esse in Christo Personam, divinam, et humanam*.

2. Commentus est, *Beatissimam, semper Virginem Mariam non esse nuncupandam Matrem Dei, sed Matrem Christi, non Deiparam, sed Christiferam, non Theotocon, sed Christotocon*. Damnatus fuit Nestorius in Con. Ephesino Gen. III., et ipse tandem a Caesare exulatus in Oasim oppidulum situm in Lybiae desertis, ibi a vermibus corrosa ejus lingua, pervicax in malo interiit.

Euthyches Monachus CP., dum unam in Christo Personam propugnat adv. Nestorium, in extremum abreptus est errorem,

sen-

sentiens, *unam tantummodo Naturam esse in Christo, scilicet Divinam*. Hinc a Patribus in Concilio congregatis interrogatus, audacter respondit: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum ante unionem; post unionem vero unam naturam confiteor*: qua de re solemnem retulit damnationis sententiam.

Aegyptii seu Alexandrini Euthychetis errorum cum Dioscoro sectatores aliud curiosum invenerunt dogma, asserentes: *Ordinationem divinam aliquibus sacrificiis, et orationibus impediri posse*.

Acephali, hoc est sine Capite duas in Christo naturas cum Euthychete, et Dioscoro inficiati sunt; et ita dicti fuere, vel quia factionis caput non habebant, vel quia a suo Patriarcha Alexandrino stante pro Calcedonensi Concilio, cujus decisionibus ipsi nolebant obtemperare, recesserant.

Jacobitae, sic dicti a Jacobo natione Syro, viro obscuro prorsus, et ob summam tenuitatem *zazalo* vocato. Is Euthychianae haereseos sectator, Auctor fuit sectae Armeniorum, quae fuit haereseon omnium veluti sentina: namque Armeni de Trinitate, et Christo male sentiunt, et idem amplectuntur, quod Ariani, et Apollinaristae docent. Degunt etiam nunc istorum reliquiae in Orientis regionibus, praesertim in Aegypto; homines ignorantiae tenebris repleti, inertes, barbari, inculti, intractabiles, Turcis ludibrio, Catholicis despectui, omnibus invisi, et rationalis hominis vix nomine digni.

SÆ-

Saeculo sexto ex Secta Acephalorum aliae duae Sectae ex diametro oppositae prodierunt Passibilium, et Impassibilium: prima a Severo quodam, qui asserebat, *Christum ex necessitate defectus corporales (ut sunt fames, sitis, mors ec.) suscepisse*. Secunda ab Juliano Halicarnassensi Antistite, qui sustinebat, *Corpus Christi non fuisse vere subjectum corporis defectibus, ut sunt fames, sitis, mors, et hujusmodi*. Utrique errabant; quia Christus non ex necessitate, sed voluntarie humanae naturae assumpsit defectus; et quia si hujusmodi defectus non assumpsisset, non videretur fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam, ut Manichaei voluerunt. Quare *Impassibiles* etiam *Phantasiastae* vocati sunt.

Tertia haeresis sub id temporis excogitata est a Joanne cognomento Philopono Grammatico Alexandrino ex Eutychianorum Secta. Hic igitur cum intelligeret, tres esse in Trinitate hypostases; tres item asseruit in Trinitate naturas. Fides autem Catholica docet, quod *unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit*.

Quartam haeresim invenit hoc ipso saeculo Themistius Diaconus Alex., qui Agnoitarum condidit sectam. Docuit namque, *in Christo fuisse ignorantiam*; cum tam *in ipso* (*Christo*) docente Apostolo ad Coloss. 2. *omnes thesauri sapientiae et scientiae sunt absconditi*.

SÆCULI VII.

Hoc saeculum perniciosissimam orbi terrarum pestem peperit, ter impium scilicet Mahometem. Ortum hic habuit in Arabia felici, qui post multos fortunae eventus Sectam condidit, quae citò per totum Orbem grassata est errore, vi, bellis, crudelitate. Ipse

1. *Unum Deum* cum Judaeis, et Catholicis praedicat, sed negat esse *Trinum*.

2. *Christum Filium Dei Deumque esse* inficiatur, et solum eumdem dicit Prophetarum excellentissimum.

3. De partu Virginis multa ingenio suo fabulatur.

5. Asseruit, *Judaeos voluisse quidem Christum in Crucem agere, sed cum eum tenuissent, ejus tantum umbram in Crucem egisse; ipsum vero nec in Crucem actum fuisse, nec mortuum; sed a Deo translatum fuisse in Coelum, ut servum charissimum*.

5. *Circumcisionem*, Baptismate dimisso, *ex Judaica religione acceperunt* Mahometani, quam non 8. die, sed an. 13. conferunt, cum in ea aetate circumcisus fuerit *Ismael*, quo parente gloriantur.

6. Lex Mahometana permittit *Polygamiam*, hoc est *uxorum pluralitatem*.

7. Hujusmodi carnis delicias promittit Mahometess ectatoribus suis etiam post carnis resurrectionem in beatissimo Paradiso inter puellarum promiscuos amplexus.

8.

8. Ut suos ad bellum extimulet, affirmat, Paradisum non patere nisi fortibus, et magnanimis in praelio. Decernit, adversus incredulos, hoc est Christianos, maximè bellum esse gerendum, et fugientibus in bello cum eis gerendo ignem comminatur aeternum. Et en causa execrabilis odii Turcarum adversus Christianos,

Monotelitae unam in Christo *voluntatem*, unamque *actionem* profitentur. Praecipuos duces habuerunt Sergium CP. Patriarcham, Cyrum Alexandrinum Macarium Antiochenum Patriarchas, Pyrrum, et Paulum, Sergii successores.

Hi omnes damnati sunt cum *Ectesi* Heraclii (Ectesis erat Edictum Imperatoris, quod dogma hujusmodi tamquam certum fidei articulum omnibus praedicandum proposuerat) à CP. Concilio VI. Gener. an. 680., definiente, *duas esse in Christo voluntates, duasque actiones, humanam, et divinam.*

Gnosimachorum Secta, inter ceteras insanissima, de sua ignorantia gloriabatur. Reputabat ista: *Omnem scientiam Scripturae sacrae Christianis esse contrariam, vanam, et inutilem*, docens: *Deum nihil aliud ab homine expetere, quàm bonam actionem.*

Ethnophrones unà cum fide Christi Paganismum impiè profitebantur, dicentes, quod *haec ambo licet exercere.*

Christolitae docebant, quod *Christus cum sola Deitate et resurrexerit, et in Coelum ascenderit.*

Pa-

Parermenutae asserebant: *Quamlibet Scripturam sacram juxta opinionem propriam interpretari posse*; quod et faciebant, continuò Biblias evolventes.

Theocatagnostae, hoc est in Deum blasphemi, sic nominati sunt, quia quaedam a Deo facta, vel dicta in sanctis Scripturis, temerè reprehenderent.

SAECULI VIII.

Iconoclastae, seu Iconomachi, quorum Auctor fuit Xenaias Persa, Hierapolitanus Ep. saeculo 5., sed quoniam error istius visus est extingui in ipso sui ortu; hic a Judaeis instauratus est an. 723., duce *Sarantaphethyè* quodam, venefico, ac praestigiatore insigni, qui ob conceptum erga Christianos immane odium Ezidum Persarum Regem adit, eique diuturnum spondet regnum, si ex Christianorum templis, totiusque regni sui finibus Christi, et Sanctorum eliminaret Imagines. Malitia sua praestigiatorem non fefellit. Rex praebuit auditum, et quod ipse volebat, illico factum est. Hinc tam grande bellum excitatum est in Oriente sub scelestissimis Imperatoribus Leone Isaurico, Constantino Copronymo, et Leone Porphyrogenito, adversus sacras Imagines, ut ad illud extinguendum necesse fuerit cogere Concilium Nicaenum II. Generale VII., in quo et damnatus est error Iconoclastarum, et ut pius et sanctus confirmatus usus sacrarum Imaginum.

Iconoclastarum errores renovarunt superioribus saeculis Valdenses, Wiclefitae, Hussitae, Calvinistae ec.

Hoc saeculo alii duo insignes emerserunt impostores, Adalbertus Gallus, et Clemens Scotus, Pseudo-Episcopi. Adalbertus ope Daemonum, quos in sui patrocinium sub ignotorum Angelorum nomine invocabat, falsis, et in specie portentosis signis populum ludificabat. Suo nomine consecrabat Ecclesias, suosque capillos, et ungulas pro magnis reliquiis honorandos volentibus tradebat. De mirabili suo ortu multa commentus est, et Epistolam ineptissimam veluti Jesu Christi, per Archangelum Michaelem e Coelo delatam in Civitatem Jerusalem, divulgabat, aliaque similia.

Clemens sacros Canones, SS. Patrum Expositiones, et Decreta Synodalia respuebat; vitam ducebat in impudicitiis, et tamen dicebat, licite esse posse Christianae legis Episcopum. Hos peculiares docuit errores:

1. *In nova lege potest frater defuncti fratris uxorem sibi in matrimonio jungere.*

2. *Dominus Jesus Christus descendens ad inferos, pios, e impios simul inde eduxit..*

Felix natione Hispanus, Urgellae urbis in Pirenaei montis jugo sitae, natus, et Elipandus Toletanus Ep., non sine magna plurimorum seductione, Nestorianismum novis fucis obsitum renovare hoc saeculo conati sunt, docentes: *Christum esse Dei Filium adoptivum, non proprium*. Ante mortem uter-

que

que haeresim ejuravit, et in sinu Ecclesiae mortui creduntur.

Pauliciani, seu Paulo-Joannitae nomen adepti sunt a Paulo, et Joanne natura, et impietate germani, natione Armaeni. Praeter *Manichaeismum*, quem refricabant, docebant his verbis contineri Baptisma: *Ego sum aqua viva*: istis vero Eucharistiam: *Accipite, manducate, et bibite*. Crucem detestabantur; si tamen in morbum quis incidisset, Crucem ligneam adhibebant tamquam efficax remedium; et morbo cessante, illam summa impietate in mille partes secabant.

SÆCULI IX.

Sergius, alter a Sergio Monothelita, *Manichaeorum* in Asia instaurans errores, se dicebat Tychicum Apostoli discipulum, de quo ad Ephes. c. 6., item se fingens et *lucidam stellam*, et *Paracletum*, sub fuco sanctitatis et scelera perpetrabat, et aliis hunc errorem suadebat: *Fornicatio peccatum non est, sed naturae potius beneficium*.

Gothescalchus Germanus Ord. Benedictini Abbas ex mala S. Augustini, quem libenter pervolutabat, intelligentia, in hos lapsus est errores:

1. *Sicut Deus quosdam ad vitam aeternam praedestinavit, sicque etiam alios ad mortem aeternam praedestinavit, cogitque homines interire*.

2. *Non vult omnes homines salvos fieri; sed eos dumtaxat, qui salvantur* 3.

3. *Christus tantùm pro electorum salute mortuus est; non autem pro redemptione omnium hominum*. Licet iste infelix in duobus Synodis, Moguntina, et Corisiaca (Kiersy villa regia in pago Suessionensi) damnatus fuisset, et in quodam Monasterio Dioecesis Rhemensis carceri mancipatus: attamen numquam, neque in morte errores suos voluit dimittere; quare absque Sacramentis decessit, et Ecclesiastica sepultura privatus fuit.

Photius, Auctor innumerabilium, quas deinceps passa est Ecclesia Dei, calamitatum, et illius diuturni schismatis, quod tandem Graecam Ecclesiam a Latina penitus avulsit, causa, et origo. Hic Photius opera iniquissimi Bardae Aulici, pulso in exilium S. Ignatio CP. Patriarcha sedem ejus invadens, intra sex dierum spatio ex Laico per omnes Ordinum gradus ascendens a quodam excommunicato, ac deposito Ep. Syracusano, nomine Gregorio, factus est Episcopus. Incredibilia sunt, quae, et quanta iniquus iste Photius perpetrarit scelera, et iniquitates. Negavit primo, *Romanum Pontificem esse totius Ecclesiae Catholicae Caput*: secundo, *Spiritum Sanctum procedere a Filio*. Hinc damnatus a Nicolao I. P. M., ausus est vicissim Nicolaum damnationis sententia perstringere. Tandem cura, et opera Basilii Imper., et S. Ignatii habita est CP. octava, et ultima Graecorum Synodus Oecumenica, cui per Legatos suos praesedit Adrianus II. Ad Synodum ingredi coactus Photius tamquam

Lai-

Laicus, Baculo tamen Pastorali innixus, qui statim e manibus ejus ablatus est, ad interrogata hoc unum respondet impudenter, *se tacere Christi exemplo, cum judicaretur*. Sed nihil malitia sua sibi profuit; a Patribus enim, omnibus, quae in Pseudo-Synodo gesserat, rescissis, haec Anathematum fulmina in eum prolata sunt: *Photio curiali, et invasori Anathema. Photio inventori perversorum dogmatum Anathema. Novo Dioscoro Anathema. Novo Judae Anathema*. Attamen Photius sic damnatus, et in exilium ejectus, post mortem S. Ignatii, novis artibus excogitatis, novaque tyrannide sedem Patriarchalem occupat, quandiù a Leone Augusto Basilii filio penitus exauctoratus, et in quoddam Armaenorum Monasterium relegatus, ibi tandem tot malorum Auctor in impietate sua mortuus est.

SAECULI X.

Hoc saeculum, in quo ob desidiam, atque Pastorum licentiam, et ignorantiam, magis errores grassari posse videbantur: nulla tamen, Dei Providentia pro Ecclesia excubante, haeresum monstra parturiit. Dum aliis temporibus navis Petri fluctuat ob varias perversorum dogmatum procellas; hoc saeculo malorum Pontificum, et Sacerdotum mores illam obnubilant, et quassant. Ipsum quoque Photianum schisma, si non penitus extinctum cum Auctore suo, sopitum tamen ja-

jacuisse videtur. Transeamus ergo ad saeculum XI.

SAECULI XI.

Habes Lector, hoc saeculo execrandam prorsus Manichaeismi propaginem, quae primo radicem fixit in pravo corde mulierculae cujusdam, cui nomen erat *Italia*, quae nedum idiotas, et rudiores, sed etiam Heribertum S. Petri Aureliensis Scholasticum, et Liosium Aureliis S. Crucis Canonicum, viros tum religionis, tum scientiae opinione celebres, in suam traxit sententiam. Haec erant errorum Capita.

1. Negabant *Sanctas Scripturas*, illasque rejicientes velut figmenta hominum carnalium, solam legem in cordibus scriptam se admittere gloriabantur.

2. Inficiabantur cum Saturnino, aliisque haereticis antiquis *Christi Incarnationem*.

3. Dicebant, *mundum non esse a Deo, sed ex seipso conditum fortuito*.

Praeter haec in Conventiculis utriusque sexus lucernas in manibus tenentes, Daemonum nomina, Litaniarum instar recitabant, donec Daemonem aliquem sub forma cujusdam bestiolae conspicerent. Tunc lucernis, extinctis, omnem promiscuam exercebant turpitudinem, nulla ad consanguinitatem, aut vincula conjugalia habita ratione. Si ex foedo concubitu infans nascebatur (horrescunt aures haec audiendo) octava die cre-

ma-

mabatur totus, et ex cineribus religiose servatis conficiebant viaticum infirmis ad mortem distribuendum. Adeo vero pertinaces fuerunt in errore Heribertus, et Liosius, ut nulla ratione ad lumen veritatis revocari potuerint: quare ab Aurelianensi Synodo degradati, et brachio traditi saeculari ad comburendum, in paratas sibi flammas seipsos injecerunt.

Berengarius natione Gallus, patria Turonensis, Archidiaconus Andegavensis Ecclesiae, ex inquieto suo cerebro novam hanc effudit haeresim; negavit scilicet *realem Corporis, et Sanguinis Christi in Eucharistia praesentiam*. Convictus autem Ecclesiae rationibus, postea dixit: contineri quidem in Eucharistia Corpus Domini *vere*, sed *impanatum*, *Transubstantiationem* inficiens: sicque in primo errore Calvino praeivit, in altero Luthero. In duobus Conciliis haeresis Berengarii damnata est, in Romano sub Leone IX., ac deinde in Vercellensi; quibus tamen non acquievit Haeresiarca. Vicor II. Leonis successor ob hanc causam celebrari jussit Synodum Turonensem 1055., cui praefuit per Hildebrandum, qui postea Papa fuit sub nomine Gregorii VII. Vocatus ad Sinodum Berengarius, et suum placitum defendere non posse reformidans, fidem Ecclesiae professus est, praestito juramento errorem dimittendi. Ast immemor statim, atque violator praestiti Sacramenti, ad pristinum redit errorem, eumque novis rationibus confir-

firmare nititur. Hinc Nicolaus II. Romae convocat Concilium 113. Episcoporum, ut haeresim Berengarii solemnius profligaret. Sanctae Synodo suos pestilentes Libros concedit Haereticus, qui in ipso Concilio igni devoventur; iterum professionem fidei emittit, jurans fidem a Patribus definitam se inviolabiliter servaturum; quae fidei professio ad tollendum scandalum per totam Italiam, Germaniam, et Galliam promulgata est. Sed quid? iterum ad vomitum redit infelix, errorem que suum non cessat scandalose defendere. Ut tanto malo extremum remedium afferat Gregorius VII. contra Berengarii impietatem toties lapsi aliud Concilium Romae indicit an. 1079. In eo firmata est Catholica veritas, et Berengarius iterum convictus, qui veniam humiliter petens, solemniorem, et juratam emisit fidei professionem, quam usque ad mortem constanter tenuit. Ast morti proximus, ut refert Guilielmus Malmesburiensis Anglus Benedictinus, haec cum magno gemitu dixit: *Hodie in die Apparitionis suae* (mortuus est enim Epiphaniae die an. 1088.) *apparebit mihi Dominus meus Jesus Christus propter poenitentiam, ut spero, ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad poenam.*

Hoc saeculo viguit maximè Simoniaca labes, quam plures omni peccato carere docuerunt, sustinentes: *Licitum esse vendere beneficia Ecclesiastica, ut Praelaturas, Canonicatus ec.* Ast nonnulli ex probis Catholicis

dum

dum errorem hunc refellunt, in alium prolapsi sunt, docentes: *Ordinatos a Simoniacis non esse recipiendos, sed iterum ordinandos*: quare *Reordinantes* dicti sunt.

Item hoc saeculo *novi* extiterunt *Nicolaitae*, qui concubinatui operam dantes docuerunt: *Licitum esse Clericis in sacris Ordinibus constitutis ducere uxores*. Item et *Incestuosi*, qui contendebant: *Licitum esse conjugium in quarto gradu consanguinitatis*. Contra quos omnes incredibiles labores passus est S. Petrus Damiani Cardinalis, et Ep. Ostiensis, ut tam turpia scandala e medio tolleret.

In Synodo Quintilineburgensi in Saxonia habita, ut Haeresiarcha damnatus est Weclio quidam Pseudo Ep. Moguntinus, eo quòd doceret: *Saeculares suis rebus spoliatos Ecclesiastico non subjacere judicio, nec excommunicari posse pro suis excessibus*; itemque contenderet: *Excommunicatos sine reconciliatione recipi posse*.

Roscelinus Compendiensis (Compiegne) in Gallia, Petri Abailardi Praeceptor, errorem Sabellianum renovans, circa Mysterium SS. Trinitatis impegit. Fictè, et ex metu mortis errorem ejuravit in Suessionensi Concilio, in quem postea relapsus est.

SAECULI XII.

Sub hujus saeculi initio Durandus de Waldach Germanus inter alias haereses, hunc

prae-

praecipuum docuit errorem: *Matrimonium nihil aliud est, quàm fornicatio palliata.*

Basilius autem, professione medicus sub Alexio Commeno Graecorum Imper. Auctor fuit Bongomilorum Sectae. Inter multos, quos hic animarum mactator disseminavit errores, hi potissimum eminent:

1. *In Divinis non datur Trinitas* (cum Sabellio).

2. *Michael Archangelus* (de quo ridicula fabulabatur) *fuit incarnatus.*

3. *Baptismus ab Ecclesia adhiberi solitus non est Christi, sed Joannis Baptistae; Bongomilorum vero est Baptismus Christi ob Spiritum Sanctum in ipsis residentem.*

Adversus sacras Imagines, praesertim Crucem Christi bellum indixit cum Iconoclastis. Hunc cum sociis aliis post carceris mancipationem ad comburendum igni tradidit Imperator.

Tanchelinus vir perditissimus hos docuit in Antuerpia palmares errores:

1. *Sacrosancti Corporis et Sanguinis Christi perceptio nihil prodest ad salutem perpetuam.*

2. *Fornicatio et adulterium sunt opus beatitudinis meritorium.*

Petrus de Bruis, a quo Petrobrusiani, haec impia effudit dogmata:

1. *Christi Crux* (cum Iconoclastis, et Bongomilis) *non est colenda*

2. *Baptismus nihil prodest parvulis ante intelligibilem aetatem.*

3.

3. *Ecclesiae omnes diruendae sunt ; nulla enim Christianis sunt deputata, vel necessaria loca sacra ad orandum .*

Iste scelestus dum die Parasceves aggeri magno ex ligneis crucibus constructo ignem admovet, erumpens inde vindex flamma, totum illum absorbuit, atque consumpsit.

Henricus Petrobrusianus, Tolosanus patria, et Religiosus Apostata, hunc addit errorem: *Deum irrideri cantibus Ecclesiasticis, quia qui solis piis affectibus delectatur, nec altis vocibus advocari, nec cantu potest mulceri .* Hic tandem, cum se nollet corrigere, perpetuo carceri mancipatus est .

Petrus Abailardus ex minori Britannia oriundus, percelebris Dialecticus, professione Monachus, multos scripsit errores, qui damnati fuerunt a Concilio Senonensi, cujus sententia confirmata est ab Innocentio II., ad cujus judicium provocaverat; interim Abailardus anathemate percussus, et ad perpetuum Monasticum carcerem damnatus. Errores suos ipse abdicavit, et in vera poenitentia, suique despectu, vitaeque austeritate perseveravit usque ad mortem. Hi praecipui erant Abailardi errores:

1. *Deus non videtur per essentiam a Beatis .*

2. *In Christo non fuit spiritus timoris Domini .*

3. *Timor Domini castus non est futurus in Beatis .*

4. *Nihil est credendum, quod excedit virtutem nostri intellectus.* Dd2

5. *Non dantur peccata ignorantiae* .

6. *Judaei , utpote Christum ignorantes , eum crucifigendo non peccarunt* .

7. *Per liberum arbitrium, sine adjuvante Dei gratia, bene possumus et velle et agere*. Et in hoc erat Pelagianus.

Arnaldus de Brixia, in Galliis Abailardi Auditor, vir verbosus, singularitatis amator, novitatis cupidus, in ipsa Urbe Roma haeresim docere ausus est, nempe: *Clerico illicitum esse possidere bona temporalia , et haec ad solos Laicos pertinere*. Damnatus in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio II., fugit in Germaniam, ut errores suos ibidem securius disseminaret. De illo scribit S Bernardus (Epist. 196.): *Arnaldus de Brixia , cujus conversatio mel , et doctrina venenum , cui caput columbae, cauda scorpionis est, quem Brixia evomit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur , Italia non vult recipere, omnia perturbat*.

Tandem, licet proscriptus, Romam reversus sub Eugenio III , maximam praebuit facem seditioni jam motae a populo adversus Pontificem, et Cardinales, quae, Arnaldo hortante , ad depopulationem usque domorum Cardinalium , eorumque vulnera exarsit. Quare Friderici I. Imper. jussu captus, igne consumptus est, ejusque cineres in Tyberim projectae .

Gilbertus Porretanus Pictaviensis Ep. sequentes praedicavit errores:

1. *Deus non est Deitas* .

2.

2. *Relationes in Divinis sunt assistentes, sive extrinsecus affixae, et ita non sunt realiter idem, quod sua Essentia.*

3. *Nullus baptizatur, nisi salvandus.*

Hujusmodi errores in duobus Conciliis, Parisiensi, et Rhemensi discussi coram Eugenio III., damnati item fuerunt, cui damnationi magna animi submissione ipsemet Porretanus subscripsit; hincque ad suam Ecclesiam honorifice remissus est.

Hoc eodem saeculo nati sunt quidam Haeretici, qui cum certo Duce carerent, se ambitiose *Apostolicos* nuncuparunt. Exterioris istorum vitae disciplina tota efformata videbatur ad Apostolorum mores; sed sub ovina pelle lupus tegebatur. Voto continentiae sese obstringebant, et *nuptias damnabant*; et tamen mulieribus, quas semper habebant secum, indivulse adhaerebant. Hos egregie exagitavit, ac confutavit S. Bernardus.

Impios Waldenses item peperit hoc saeculum, quorum Auctor fuit Petrus Waldo, a quo errorum plurimorum colluvies profluxit. Docuit

1. *Ecclesia Romana defecit sub Sylvestro Papa, unde Ecclesia Romana est modo omnium sentina vitiorum.*

2. *Hinc non est obediendum Praelatis Ecclesiasticis, sed tantum Deo.*

3. *Duo sunt solummodo Sacramenta, Baptismus, et Eucharistia.*

4. *Sacerdos amittit potestatem consecrandi, si peccatum mortale commiserit.*

5. *Laici possunt conficere Eucharistiam, non quidem prolatione verborum, quae in Coena Christus instituit, sed recitatione orationis Dominicae.*

6. *Papa non habet potestatem concedendi Indulgentias.*

7. *Jejunium nullius est meriti apud Deum.*

8. *Christianis interdictum est juramentum, itaut eis numquam jurare liceat.*

9. *Frustra tempus teritur in cantibus Ecclesiasticis.*

10. *Rejiciendae sunt omnes Caeremoniae in Ecclesia Romana adhiberi solitae.*

Hi una cum Albigensibus damnati fuerunt in Conc. Lateranensi III. sub Alex. III.

Marsilius Paduanus in Ecclesiam, et Ecclesiasticas personas debacchatus, docuit

1. *Pontifex Romanus non est in terris Christi Vicarius; ille Caesari in spiritualibus subjicitur, imo Imperator, sede vacante, summo potest Pontifici succedere.*

2. *Episcopum inter, et Sacerdotem nihil est discriminis.*

3. *Ecclesiasticis illicita est bonorum temporalium possessio.*

Hoc tandem saeculo circa Trinitatem erravit Joachim Calaber Abbas Ord. S. Benedicti, asserens in lib. adv. Petrum Lombardum: *In Trinitatis mysterio essentiam generare essentiam.* Quae propositio pronunciata est haeretica in Lateranensi IV. sub Innocentio III. an. 1215.

SÆ-

Albigenses, Waldensium progenies, maxime vero Catharorum (Albigenses namque dicti etiam sunt Patareni, Cathari, et Pauperes de Lugduno). Albigenses itaque pro majori parte Manichaeorum principia sectabantur: duo admittebant principia, unum *invisibilium*, quem *benignum Deum* vocabant, alterum *visibilium*, quem dicebant *malignum Deum*.

Inficiabantur cum Simone Mago *carnis resurrectionem*, *usum et venerationem sacrarum Imaginum* rejiciebant cum Iconoclastis; *Baptismum praedicabant inutilem ad expianda peccata*, *illudque ab unda fluviali non differre* dicebant. *B. Mariam Virginem*, proh nefas! *meretricem esse* effutiebant. *Incesti crimen, etiam cum Matre, aut sorore. aequale* faciebant *simplici fornicationi*. Impurissima istorum Secta, in omnem vitiorum, ac libidinum libertatem effusa, spiritualibus, ac temporalibus armis aggressa, penitus deleta est S. Dominici temporibus, pro cujus extinctione vir Dei Rosario B. Virginis munitus incredibiles passus est labores.

David de Dinando, Almarici discipulus, asseruit, *Deum esse materiam primam*. Magister autem suus Almaricus haec stultè docuerat:

1. *Si Adam permansisset in justitia non fuisset generatio per coitum; sed nec ulla sexuum differentia*.

2. *Nullus est Infernus, sed ille, qui habet peccatum mortale, habet in se infernum, scilicet vermen conscientiae.*

Guilielmus a Sancto Amore, Doctor Parisiensis, odio excitatus adversus Ordines S. Dominici, et S. Francisci, multos docuit errores, nempe: *Illicitam* esse bonorum renunciationem, quae fit ad serviendum Deo liberius: *Religiosos teneri ad comparandum sibi victum opere manuali*, et licitum proinde eis non esse vivere de Eleemosynis. *Eisdem committi non posse praedicandi officium, et excipiendi confessiones. Non licere Religiosis docere, praesertim saeculares in Collegiis.* Demeritum praemium ab utraque potestate, Ecclesiastica, et Civili, consecutus est Guilielmus nempe proscriptionem errorum suorum, et expulsionem ab Academia Parisiensi cum interdicto non amplius docendi, ac praedicandi; interim in eamdem advocatis S. Thoma, et S. Bonaventura.

Tres sequentes errores damnati in Concilio Gen. sub Clemente V. an. 1311. 1. *Anima rationalis non est forma corporis humani*. 2. *Gratiae, et virtutes non infunduntur in Baptismo*. 3. *Christus vixit, dum miles ejus latus lancea aperuit*: cuidam Petro Joanni adscribuntur communiter.

Hermannus Pongilupus Ferrariensis fuit dux Fraticellorum, seu Bizochorum; quorum praecipuum dogma erat: *nefas esse christianis gubernare Rempublicam*.

Gerardus Segarellus Parmensis auctor fuit

fuit *Pseudo-Apostolorum*. Isti per Italiam, aliasque mundi partes mendicando vagantes, se jactabant Apostolorum imitatores, et hos docebant errores:

1. *Non fuit licitum Apostolis aliquid servare in crastinum; nec ulla est spes salutis aliquid in crastinum servantibus.*

2. *Decimae non debent dari Sacerdotibus Romanae Ecclesiae, quia non sunt pauperes sicut Apostoli.*

3. *Perfectius est vivere sine voto, quam cum voto.*

4. *Ecclesia Romana dudum defecit propter malitiam Praelatorum.*

Porro Pseudo-Apostoli distinguendi sunt ab Apostolis saeculi 3. et 12. Segarellus tandem meritas poenas per ignem luit.

SÆCULI XIV.

Segarelli errores Dulcinus quidam patria Novariensis in Lombardia, adeo strenuè prosecutus est, ut plura hominum millia in suam traxerit sententiam. Ita pergrandi numero aucti, necesse fuit sub Clemente V. signatos milites cogere ad illos extirpandos. Hinc Dulcinus captus cum scorto Margarita etiam Itala, Vercellis in Pedemontio flammis consumptus est. Beguardi et Beguinae sub forma quadam monasticae vitae quoad habitum, et convictum, et sub specie trium votorum, antesignanis Jacobo Justo, et Bono nato Catalano, haec disseminabant dogmata:

1. *Homo in hac vita potest talem perfectionis gradum assequi, ut reddatur penitus impeccabilis, nec amplius in gratia proficere queat.*

2. *Jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus; quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui, et rationi subjecta, ut possit homo libere corpori concedere quidquid placet.*

3. *Illi qui sunt in praedicto gradu perfectionis non sunt humanae subjecti obedientiae, nec ad aliqua precepta Ecclesiae obligantur.*

4. *Homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in praesenti assequi, sicut eam in vita beata obtinebit.*

5. *Quaelibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata, nec anima indiget lumine gloriae ad Deum videndum.*

6 *In actibus virtutum se exercere, est hominis imperfecti; quia anima perfecti dimittit a se virtutes.*

7. *Mulieris osculum (cum ad hoc natura non inclinet) est mortale peccatum; actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non est; maxime cum tentatur exercens.*

8. *In Elevatione Corporis Christi non debet hujusmodi perfectus homo ei reverentiam exhibere; foret enim imperfectio, si ab altitudine suae contemplationis, ad cogitationem Eucharistiae, seu Humanitatis Christi descenderet.*

Joannes de Poliaco, doctor Parisiensis, hunc periculosum errorem cum in scholis,

tum in praedicationibus evulgavit circa paenitentiae sacramentum :

Aliquis confessus Fratribus, seu viris Religiosis habentibus licentiam audiendi confessiones, tenetur eadem peccata iterum confiteri proprio Parocho, imo Pontifex non potest facere, ut Parochianus non teneatur (*stante Capite* Omnis utriusque sexus) *omnia sua peccata semel in anno Parocho suo confiteri*. Hunc Joannes XXII. adegit ad suum retractandum errorem, illum Apostolica auctoritate damnando; et insuper jussit Pontifex Episcopis omnibus, ut convocato clero, et populo doctrinam contrariam promulgarent.

Waltherus Lolhardus, auctor Sectae Lolhaldorum, hoc foedissimum dogma per Germaniam, Austriam et Bohemiam vulgavit; *Deum nescire mala quae sub terra fiunt*. Hic scelestus igne exustus fuit Coloniae anno 1321.

Ceccus Asculanus, Astrologus, in tractatu quem edidit Bononiae, inter alias blasphemias docebat : *Christum ex necessitate Astrorum et pauperem natum esse, et turpem mortem obiisse*: Hic igni addictus fuit an. 1327.

Flagellantium secta, causa pietatis Perusii primum, ac deinde Romae exorta circa annum 1274., tandem in superstitionem, et haeresim prolapsa est, cujus hi sunt errores: 1. *Necessarium esse ad salutem solum Baptisma sanguinis per proprii corporis flagellationem* 2. *Licitam esse simulationem*. 3. *Licitum esse perjurium*. Haec in Hungaria, et Germania exterminata est per Clementem VI.

Bertholdus de Rombach Germanus inauditum hunc docuit errorem, nempe: *Christum prae doloris magnitudine de sua salute in Cruce desperasse*. Blasphemiam ejuravit, sed deinde ad vomitum rediens, Spirae ultricibus flammis traditus est.

Bartholomaeus Janovezius Majoricanus hos cudit errores:

1. *Antichristus die Pentecostes anni millesimi trecentesimi sexagesimi venturus est.*

2. *Adulti Christiani, qui semel Antichristi charactere insigniti erunt, nunquam amplius ad fidem Christi redire poterunt.*

3. *Judaei, Saraceni, et infideles omnes ab eodem Antichristo seducti, eo extincto ad Christum convertentur.*

4. *Antichristi tempore omnia Ecclesiae sacramenta, et incruentum sacrificium cessabunt.*

Hic tamen poenitens errores suos publice retractavit.

Turlupimi in Galliis Beguardorum Sectatores hasce addiderunt in anias:

1. *Nihil debet pudere quemquam eorum, quae a natura accepimus*. Hinc nudi pecudum more promiscuos palam habebant congressus.

2. *Voce non orandum sed solum corde*.

Immunda hujusmodi Secta cum Parisiis, tum alibi partim igne deleta, partim suae turpitudinis horrore illico extincta est.

Joannes Wicleff natione Anglus, Doctor Theologus, Ecclesiae de Sutthlevvorth Lincolniensis Dioecesis Rector, a quo Wiclefitae trahunt originem, ex malo odio concepto

pto adversus Romanum Pontificem multos commentus est errores, quorum alii membra Ecclesiae, alii ejusdem auctoritatem, alii Romani Pontificis Jurisdictionem impugnant. Hi sub nomine Articulorum numero 45. damnati fuerunt in globo a Concilio Constantiensi an. 1414., 27. annis ab ejus obitu decursis; postquam a nonnullis Synodis, et ab ipsa Academia Parisiensi ejusdem errores proscripti jam fuerant.

SAECULI XV.

Hussitae sic vocati a Joanne Hus Bohemo, qui adjuncto sibi Hieronymo Pragensi Valdensium et Wiclefistarum hoc seculo renovavit errores, Magistri sui Joannis additis nonnullis, illo praesertim, quo volebat: *communionem sub utraque specie necessariam esse omnibus etiam Laicis*.

Hujusmodi errores numero 30. damnati sunt a Concilio Constantiensi, et uterque Joannes et Hieronymus brachio Saeculari traditi, igne combusti sunt, eorumque cineres in Rhenum projecti.

Ex Joannis Schola orti sunt pestilentissimi Ussites, qui Principibus et Magistratibus bella moventes, omnia sacra et profana saeve turbarunt, et vix armis domari tandem potuerunt. Recruduit tamen haec insania seculo XVI. in quibusdam Hollandiae partibus, praesertim Amsterodami; sed brevi extincta est.

Pe-

Petrus de Osma Salmaticensis Doctor anno 1479. hos inter alios disseminavit errores:

1. *Non a Christo instituta, sed ab hominibus invecta est confessio Sacramentalis.*

2. *Non sunt absolvendi paenitentes, nisi peracta prius paenitentia iis injuncta.*

Hos damnavit Sixtus IV., ejusque Librum, in quo assertiones illae continebantur, unà cum ejus cathedra in schola igni fuisse traditum, narrat Bannez.

Hermannus Ruissvich Batavus sub fine hujus saeculi sequentes evomuit errores:

1. *Fides nil facit ad salutem.*

2. *Non datur Infernus.*

3. *Christus fuit seductor simplicium hominum.*

4. *Angeli non sunt creati a Deo.*

Hic cum in carcerem conjectus esset, et inde evasisset, et in primam dementiam relapsus, novis additis blasphemiis, igni tandem addictus est.

SAE-

Nullum hoc saeculo infremens Orcus non admisit conatum, ut totam, si fieri potuisset, perderet Ecclesiam Dei per duos scelestissimos homines, Lutherum, et Calvinum; ille fuit in Germania, iste in Gallis. Martinus itaque Lutherus, natione Saxo, patria Islebiensis, professione Eremita S. Augustini, per nimiam animi sui elationem, sedente Leone X. Romano Pontifice, an. 1512. apostata factus, ex apostata Haereticus, et de abysso una malorum in abyssum descendens, tandem Haeresiarcha, omnes ferme antiquos renovavit errores, novisque adjunctis Ecclesiam devastavit, et Germanicum turpiter foedavit Imperium. Discipulos suos dici voluit *Evangelicos*, hoc est Evangelii, ut ipse ajebat, per Catholicos corrupti, et a se restituti Sectatores. Multos sub ipso initio ad suas partes traxit Lutherus percelebres homines, ipsosque Principes viros, quos inter *Andream Carlostadium* Archidiaconum Wittembergensis Ecclesiae, a quo doctoralem lauream acceperat, *Philippum Melanchthonem*, *Flaccum Illyricum*, *Zuinglium*, *Oecolampadium*, *Fridericum* Saxoniae Ducem, *Georgium* Brandeburgicum Electores, *Ernestum* et *Franciscum* Luneburgi Duces, *Philippum* Hassiae Langravium, qui omnes ad futurum Concilium cum Luthero provocarunt.

Illicò tamen sensit Lutherus, quàm infausto consilio sectatores suos Evangelicos dixerit. Nam adhuc ipse vivens discipulos suos in 34. Sectas sibi invicem contradicentes discissos vidit, ut Fridericus Staphylus e Lutherano per Dei gratiam fidei nostrae redditus an. 1564. testatur in sua *Theologiae Lutheranae Trimembris Epitome*; sicque Evangelium illud, quod unum est, immutabile, aeternum, dirè proscindentes. Bellarminus autem in 2. Tomo Controversiarum 1583. asserit tunc numerari fere centum diversissimae Religionis propagines ab uno Luthero prodeuntes. Nunc autem cum apud Lutheranos, tùm apud Calvinistas tot capita, tot sententiae, tot individua, tot religiones diversae.

Praecipuae autem Sectae hae sunt è Lutherana schola enatae; *Anabaptistarum*, auctore Nicolao Storkio Silesio. Dicti autem sunt Anabaptistae, quia alias tincti, rebaptizabantur. Haec pestifera secta bellum movit magistratibus, Principibus, Praelatis, Sacerdotibus, Religiosis, Monialibus, quos omnes saeve persequebantur, ac necabant.

Sacramentariorum Parens fuit Carlostadius, qui sanctum abitum abjiciens primus inter Lutheranos uxorem duxit, missam abrogavit, Eucharistiam profanis manibus contrectari permisit, signa infesta Templis intulit, sacrasque Icones ab illis eliminavit, Christi Corpus, et Sanguinem reipsa adesse in Eucharistia audacter negavit.

Con-

Confessionistarum, quorum Dux fuit Philippus Melachthon; ita dicti, quia professionem fidei, quam Augustae Caesari obtulerant Lutherani Principes, ipse omni quo potuit ingenii studio adornavit, omissis, vel emollitis odiosis Lutheri opinionibus: quare et *molles Lutherani* sunt appellati. Et haec est illa famosa *Augustana Confessio*, in quam deinceps veluti in Evangelium Lutherani jurarunt.

Rigidorum Lutheranorum Coriphaeus extitit Flaccus Illyricus, qui a doctrina, et scriptis Lutheri nec vocula quidem nec sillaba discedendum esse sustinebat: quare implacabilis fuit mollium Lutheranorum hostis. Fuit etiam hic praecipuus compilator, et editor celebrium Centuriarum Magdeburgensium.

Antinomiorum a Joanne Agricola Islebiensi; *Antinomii* a voce graeca appellati, quia legem omnem, et legis opera rejiciebant; quasi dicas legem impugnantes, vel legi contrarios.

Praeter has aliae sunt Sectae Lutheranorum satis celebres, utputa Indifferentistarum, Zuvinglianorum, Substantialistarum, Majoristarum, Osiandrorum, Stancariorum, Musculanorum, Ubiquistarum, Spanembergensium, qui omnes sub Sectariorum nomine comprehenduntur, et quorum omnium historiam texere, nostri non est instituti, qui tantum aliqualem notitiam dare statuimus. Unum hic praetereundum non est, nempe Martinum Bucerum Germanum ex Alsatia, professione Dominicanum, primum ex

E e Ger-

Germania in Angliam, quò nullus adhuc error irrepserat, Lutheranam pestem transtulisse, eò appulsum cum Paulo Fagio an. 1549. Hic scelestus, regnante Eduardo minorenni, data dextera Petro Vermilio Florentino *Martyri* nuncupato, Canonico regulari S. Augustini, terram illam antea Sanctorum cultricem viru haereseos infecit, et in abyssum perditionis attraxit.

Veniamus tandem ad Joannem Calvinum Presbyterum. Natus ille fuit Novioduni, quod est Oppidum Picardiae an. 1509., qui post Philosophiae, Jurisprudentiae, Theologiae, nec non linguarum Graecarum studiis emensis, in quibus ob ingenii acumen, atque memoriae tenacitatem multum profecit, semper hinc inde vagus, et profugus: Genevae tandem, quae jam et a Sabaudiae Ducis obedientia, et a religione Catholica ad Sacramentarios defecerat, sedem fixit, ibique sub tutela Guilielmi Farelli Delphinatis, ipsoque Senatu approbante, omne suum virus effudit, omnemque sectae suae disciplinam constituit, legesque praescripsit, a quibus postea discedere nec ipsis ministris, nec Civitatibus liceret. Hinc cito cum per libros *Institutionum Christianae Religionis*, quos Basileae in lucem ediderat, tum per discipulos suos, quos quaquaversum novitatis praecones tamquam diaboli ministros misit, diffudit, destinavit, incredibilia mala intulit Ecclesiae, et Gallias totas, Sabaudiam, Hollandiam, Helvetiam, omnemque mundum ultra

Pi-

Pirenaeorum, et Alpium juga, lue haereseos suae depopulatus est. Hinc novitates, discordiae, tumultus, odia, bella atrocissima, quibus Francia per duo, et amplius saecula jactata, tandem ad interitum perducta est. En novitatum fructus, haeresum finis.

Tandem infelix iste Haeresiarcha gravissimis morbis oppressus Genevae cessit e vita an. 1564., aetatis vero suae 54., menses 10., dies 17., postquam miseram satis vitam perduxisset et ob tempestates varias, quibus jactatus est, et ob melancholiam, ventriculi debilitatem, et hemicraniam, quibus, ut Spondanus scribit, continuò afficiebatur.

Martinus vero Lutherus 1546. mortuus est Islebii patria sua, 17. Februarii; cujus diei sero postquam lautè, et opiparè coenatus fuisset, et facetiis de more indulsisset gravissimis doloribus excruciatus inter secundam, et tertiam de nocte ad culinas impurissimam expiravit animam aet. suae an. 63. Ejus cadaver stanneo loculo inclusum Wittembergam delatum cum magna caterva equitum, peditumque in funebrem pompam, ipsa Catharina, quam e Moniali uxorem duxerat, cum tribus liberis suis Joanne, Martino, Paulo, comitante.

Concilium Generale, ad quod tam saepe appellaverant Lutherani, et ab universo orbe expetitum, indictum tandem est Tridenti an. 1545. sub Paulo III., continuatum sub Julio III., completum sub Pio IV., ad

quod perhumaniter, bonisque conditionibus invitati Lutherani, et Calvinistae, venere tamen detrectarunt; quod moris est Haereticorum, ad Concilium futurum, quod abhorrent, provocare, ad sic errores liberius disseminandum, et ad Ecclesiae auctoritatem, poenasque debitas effugiendum.

E Calvino ortae tres praecipuae enumerantur Sectae. Prima illorum est qui purum, putumque sequuntur Calvinismum, quare *Puritani* vocantur. Secunda est *Anglo Calvinianorum*, qui a Pseudo Reformatis et in disciplina, et in moribus differunt. Admittunt namque Ecclesiam conflari debere ex Archiepiscopis, Episcopis, Diaconibus, aliisque gradibus Ecclesiasticae Hierarchiae, sed summum Ecclesiae Anglicanae Caput regem agnoscunt. Varios etiam recipiunt Catholicorum ritus, Altaria, Cereos, superpellicea. Festa quaedam colunt, ut Purificationis Deiparae, S. Michaelis Archangeli, S. Georgii M., et alia nonnulla. Crucem honorant, ejusque signum cum liturgia quadam adhibent in Sacramentis, praesertim in Baptismo: quae omnia *Puritani* rejiciunt. Tertia *Ariminianorum*, qui Lugduni Batavorum ortum habuere a Jacobo Ariminio Theologiae Professore sub initio saeculi sequentis, cui adhaesit Hugo Grotius. Ariminius itaque Theodori Bezae Genevae auditor, et jam Calvinista factus, dum Amsterodami in Hollandia Theologiam doceret, magnam habuit cum Francisco Gammaro controversiam circa *Praedestinationem*

et

ti reprobationem. Gammarus rigidam Calvini haeresim tuebatur, Ariminius Pelagianismum. Hinc Ariminiani, qui etiam vocantur *Remonstrantes*, et Gammaristae, etiam *Contra-remonstrantes*, exorti.

Fuit hoc saeculo quidam Sebastianus Castelius Delphinas, qui docuit: *rem esse indifferentem eam sequi Religionem, quam quisque voluerit*. Et haec est pestilentissima Secta *Indifferentistarum*, seu *Latitudinariorum*, quae hodie latius obtinet, putantes quemlibet posse in sua Religione salvari, ut sic homines circa necessitatem Religionis amplectendae desinant jactari.

Michael Servetus Hispanus jam Sacramentarius parens fuit *Antitrinitariorum*; et tam impia protulit adversus Sanctissimam Trinitatem, ut Calvino accusante, et Senatu imperante, Genevae ultricibus flammis vivus addictus fuerit. Vocabat hic scelestus (horrescunt aures) SS. Trinitatem triceps monstrum, cerberum quemdam tripartitum, imaginarios Deos, illusiones, ac tres spiritus Daemoniorum.

Hoc tandem saeculo Civitas Senensis in Etruria tria monstra peperit, Bernardinum Ochinum, Ordinis Cappuccinorum Sacerdotem, Lelium, et Faustum *Socinum*, a quibus *Sociniani*. Ochinus itaque Apostata factus, et scorto matrimonio conjunctus, cum Petro Vermilio vulgo *Martyre* ex Italia profugit, et diu titubans circa religionis electionem, tandem Serveti blasphemias amplexus est

Ge-

Genevae; sed prae mortis timore inde fugiens, cum eodem Petro in Angliam concessit. Ex eo Regno a Maria Regina Catholica pulsus, migravit in Germaniam, Poloniam, et Transilvaniam, ibique evomuit dogmata perpetuis tenebris dignissima. Ante mortem resipuisse, tradunt Annales Cappuccinorum: sed alii negant.

Lelius sub ipso juventutis flore Patriam, in qua tutus esse non poterat, relinquens, quadriennio Galliam, Angliam, Belgium, Germaniam, ipsamque Poloniam emensus, Tiguri in Helvetia sedem fixit. Audita Serveti infausta morte errores suos dissimulavit, et paucos infecit Italos per Germaniae, et Poloniae regiones. Mortuo tandem an. 1547. aetatis suae 37., Faustus Socinus ipsius nepos Patrui scripta sibi vindicavit, et in Transilvaniam pergens, atque Poloniam, tum ore, tum scriptis haeresim extendere omni opere sategit.

Praeter bellum, quod Socini moverunt SS. Trinitati, cum antiquis Haereticis docuerunt: *Christum esse purum hominem; dici autem Verbum Dei, quia verba Dei annuntiavit, quomodo Joannes dicitur vox*. Itemque docebant, *hominem ante lapsum non habuisse justitiam originalem*. Decessit Faustus prope Cracoviam in Polonia an. 1604. De illo ejus asseclae canere solent:

Tota urbis Babylon (*Ecclesiae Catholicae*) *destruxit tecta Lutherus*:
Muros Calvinus, sed fundamenta Socinus.

Plu-

Plurimi hodienum Socinorum impia dogmata in praefatis locis sequuntur; quae etiam per Hollandiam grassantur; nec ab istius doctrinae lue immunis est Britannia: ita profundius figit error fundamenta.

SÆCULI. XVII.

Quo progrediuntur tempora, eo deteriora fiunt, et quantum mundus hic senescit, tantum lumen amittit. Praeter namque Corradum Worstium Lugdunensis Academiae Professorem, qui asseruit: *Deum esse mutabilem; Deum non esse immensum, seu ubique*; prae caeteris pestilentiores surgunt Atheistae. Quandoquidem Lucillus quidam natione Italus omnem hac tempestate sustulit de medio Divinitatem; ac per consequens, omnem abjecit religionem. Hic Tolosae morti addictus, veniamque petere jussus a Deo, a Rege, a Justitia, libera voce respondit: *quantum ad Deum attinet, nullum esse credo, quantum ad regem, numquam illum offendi: quantum vero ad justitiam, illam ego Daemonibus, si tamen daemones aliqui existunt, dovoveo*.

Marcus Antonius de Dominis olim e Societate Jesu, deinde Ep. Segnensis, ac tandem Archiepiscopus Spalatensis, Dalmatiae, et Croatiae Primas, ob innatam animi inconstantiam, et aes alienum, quo litigando gravatus erat, infaustum caepit consilium, de Patria, nempe, Ecclesia, et fide desecenda.

Hinc

Hinc per Helvetiam, et superiorem Germaniam in Belgium, atque inde in Angliam trajecit. Illic a Rege Jacobo I. benigne exceptus librum edidit *de Republica Christiana*, in quo *ex fide Lutherana*, *Calvinistica*, *Anabaptistica*, et *Romana* unam eamdemque *sanam*, *et Orthodoxam fidem* conflari posse commentus est, modumque absurdissimum, quo id fieri posset, tradidit. Hujusmodi autem vitam brevi pertaesus, Romam perrexit, de venia securus factus a R. Pontifice; ibique librum evulgavit, in quo solemniter quaecumque scripserat adversus Ecclesiae Catholicae doctrinam, retractabat. Interim tamen clandestinum cum Protestantibus commercium fovens, subita morte praeventus est. Scripta ejus discutiuntur, quae haeresibus tantisper occultatis cum undequaque aspersa fuissent inventa; in Campo Florae igne combusta sunt an. 1624. Circa id temporis multum turbavit Galliam Edmundus Richerius Presbyter erronea docens *de Ecclesiastica*, *et politica potestate*. Sed de hoc silemus, quia in sinu Ecclesiae mortuus est, a suis erroribus recedens.

Illuminati in Hispania exorti sunt 1575. et in ipsis incunabulis tum fere extincti; hoc saeculo in Diaecesi Hispalensi vires resumpserunt. Verum eorum septem igni adjudicatis per Inquisitionis Officium, reliqui vel errores abjurare, vel patriam deserere compulsi sunt.

Item Beguardorum, et Beguinarum (de qui-

quibus Saeculo XIV.) deliria, et abominationes renovavit an. 1686. Michael Molinos Hispanus *Quietistarum* Parens. Quietistarum errores 68. Propositionibus contenti damnati sunt cum Auctore suo ab Innocentio XI. 1687.

Hoc ipso Saeculo, nempe an. 1653. exorti sunt in Anglia *Indipendentes*, *et Tremblantes*, seu *Quakeri*. Illi in Ecclesiae regimine non admittebant capita, nec reges, nec Episcopos, nec Sacerdotes cognoscebant; dicebantque quemlibet sibi ministrum esse, *et quemvis sine ulla aut personae, aut sexus distinctione esse legitimum Verbi Dei praeconem* quovis loco, et tempore, dum sensit se a spiritu ad concionandum impelli. Isti quasi ex inferis egressi, et solo tecti indusio in compitis, et triviis, veluti cogitabundi, et spiritu Dei accensi sistebant; indeque clamantes, homines debere *in timore et tremore salutem operari*: quare Trabellantes dicti sunt. Haec erant istorum praecipua dogmata:

1. *Nullus esse potest Dominus*, *unde nullus debet alteri servire*, *sed omnes debent esse aequalis conditionis*. En tum aequalitas Gallicana.

2. *Omnis Coeremonia*, *seu affabilitas ex humana societate fuganda est*, *unde nullus alios debet salutare*, *nec ei pileum deponere*.

3. *Quilibet habet lumen sufficiens*, *ut Scripturam sanctam interpretetur*.

Investigantes, seu Expectantes, Sceptici, Quaestionarii, sive Quaerentes hoc eodem tempore prodierunt. Sentiebant illi,

Chri-

Christum Jesum veram aliquam religionem nobis attulisse de Coelo, eamque (inter nos vivens), revelasse. Sed *nullam Religionem inter Christianos stabilitam esse veram Christi religionem*. Eapropter omnes damnant, omnibus contradicunt, ad nullam sese determinantes. Legunt assidue sanctas Scripturas, ut veram religionem inveniant; atque hinc, *Investigantes* appellati.

Spinosa (Benedictus) ex Patre Judaeo natus, extitit hoc saeculo famosus Politico-Atheus, qui et Judaicam et Christianam religionem destruere, et purum putumque Atheismum invehere molitus est. Hic in Libro, cui titulus: *Tractatus Theologico-Politicus*; haec prae ceteris docet, 1. nempe sufficere, quod Cives rectè, ac honeste vitam instituant, et Magistratibus obtemperent suis. Ceterum non curandum esse, quam quis interius religionem teneat, dummodo exterius, et superficie tenus aliquam, ne regimen turbet politicum, profiteatur. 2. Deum non esse Ens infinite perfectum, et beatum, sed aliud non esse illum, quam virtutem naturae, quae in omnibus creaturis diffusa est. In Opere vero posthumo hoc atheisticum sistema fusius explicat; ibi probare nititur insanis, et sibi contradicentibus principiis, unam tantum extare substantiam innumeris praeditam attributis, inter quae illo extensionis, et cogitationis. Reliqua, quae nos dicimus, corpora, substantias, et creaturas, nihil sunt aliud per Spinosam, quam hujus substantiae

modi

modi, et modificationes. Huic substantiae nomen ille tribuit Dei; sed negat, liberum illum esse, omniaque in natura necessario contingere. Systema, quod ipse Bayle abhorruit. 3. Prophetias Prophetarum Vet. Testamenti consistere in eo, quod hi imaginationem habuerint fortiorem communi, et illas Moysis in eo, quod excellentiori praeditus fuerit intellectu. Ceterum ex hoc tempore studio, et scriptis impiorum hominum tam latè excrevit Atheismus, praesertim inter Calvinistas, ut modò (proh dolor!) integrum regnum, illudque quidem vastissimum, et frequentissimum, omnem jam rejecisse Numen, omnemque substulisse Divinitatem videatur; illudque dicat, satis esse Societati honestatem, et exteriorem obedientiam Civium. Actum est ergo de religione.

Dicamus tandem de erroribus Michaelis Baji, et Jansenii Cornelii, qui tamen Haereticis haud sunt accensendi, quia in sinu Ecclesiae Catholicae decesserunt. Ex Baji itaque Operibus damnatae sunt Propositiones 75, primum a Pio V., ac postmodum a Gregorio XIII, quarum damnationi ipsemet Bajus humillimè subscripsit. Pertinet autem Bajus ad saeculum 16., cujus circa finem mortuus est. Ex Libro vero Jansenii, cui Titulus *Augustinus*, jam vita functi, quinque Propositiones excerptae sunt, quae ut Catholicae fidei adversae damnantur a Summis Pontificibus Innocentio X. Alexandro VII. et Clemente XI. Sunt autem ejusmodi:

1. *Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

2. *Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur.*

3. *Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

4. *Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant Haeretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

5. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse.*

In fine hujus saeculi, an. scilicet 1699. damnatae fuerunt *in globo* ab Innocentio XII. Propos. 23. Cl. Fenelonis, Archiep. Cameracensis, cui Auctor ex animo acquievit.

SAECULI XVIII.

Tot, tantaque errorum monstra, et insanorum hominum blasphemias pertaesi, quas etiam nolentes ad Tyronum eruditionem, utilitatemque referre necesse fuit; ad consummationem operis properamus, paucis rem totam hujus jam labentis saeculi absolventes.

Habes itaque sub initio damnationem

101.

101. Prop. factam a Clemente XI. per suam Constitutionem, quae incipit *Unigenitus* an. 1713. Patris Quesnelli Congregationis Oratorii.

Habes in in magna Germaniae parte, et in Helvetia *Pietistarum* Secta. *Pietistae* dicti sunt ob fucatam, quam verbis, vultu, oculis, totiusque corporis nisu affectant, pietatem, et insuper propter enthusiasmos, revelationes, speciosos perfectionis gradus, et imaginariam, qua se pascunt, cum Deo unionem in spiritus quiete. Sed isti parum, aut nihil differunt a *Messalianis*, *Beguardis*, et *Beguinis* (de quibus saec. 4.), *Illuminatis*, et *Quietistis* (de quibus saec. 14.) Ab istis quoque non multum distat insania Parochi cujusdam in Diaecesi Xantonensi in Gallia. Iste docebat: *Aequalem a Deo omnibus tribui hominibus gratiam, tàm peccatoribus, quàm justis: Deumque vel in hac vita videri ab hominibus, licet minus clarè a peccatoribus*. Hic post unam et alteram correctionem, et erroris sui abjurationem, quem populo praedicabat, nec ab insania tamen cessans, carceri mancipatus fuit.

Hic sisto pedem, et ad metam jam pervenisse puto: quae etenim detrimenta passa sit hoc saeculo Ecclesia sancta Dei, quas jacturas sustinuerit Catholica fides; quae nunc habeatur undequaque libertas cogitandi, licentia vitae, corruptio morum: heu! heu! quis non videt? quis ignorat?

Vos igitur, Tyrones mei, qui divinae pie-

pietatis dispensatione vocamini ad regimen populi Dei, videte bonum, intuemini malum; amplectimini, et praedicate illud; istud in vobis, et in aliis cavete; zelo zelate, ut alter Elias, pro Domo Dei. Sitis ubique *sal terrae*, *lux mundi*, *digni Ministri Dei*. Et in his, quae pro vestra utilitate in hoc Apparatu meo congessi, figite oculos, memoriae mandate. Si autem in tot, tantisque diversis rebus, iisque magna ex parte incertissimis, si quid minus recti e calamo mihi exciderit nolenti, lubenti animo ignoscite. Sana est fides, recta intentio; error, si adsit, involuntarius. Valete

FINIS.



INDEX

CAP. LIBRI PRMI.

CAP.

LIBRI SECUNDI.

LI-

ERRATA			CORRIGE
Pag. 21.	l. 21.	clare	clarae
62.	l. 18.	Isin	Sin
91.	l. 31.	409.	4009.
93.	l. 12.	Esiasib	Eliasib
94.	l. 19.	Assalonita	Ascalonita
119.	l. 15.	nuovae	novae
129.	l. 19.	Urbs	urbe
152.	l. 26.	ipsa	ipsam
195.	l. 31.	Obiit 152.	252.
203.	l. ult.	tandum	tantum
279.	l. 20.	Clunicensis	Cluniacensis
289.	l. 26.	Gattius	Gottius
294.	l. 28.	adversarius	adversariis
326.	l. 31.	putabant	petebant
337.	l. 25.	vivere	videre
340.	l. 6.	post *Henrici*	adden. amicitiam fecit.
352.	l. 19.	Fecischi	Fieschi
Hic pro Papa 206 17. Octob. 1404. ad 6. Novemb. 1406.			legendum Papa 182. a 25. Junii 1243. ad 7. Decemb. 1254.
358.	l. 22.	154.	1054.
368.	l. 30.	414.	514.
415.	l. 23.	Vicor 11.	Victor 11.
431.	l. 5.	fuit	furit

